

*Petri Hispani*

**QUESTIONES SUPER LIBRO**

**“DE ANIMALIBUS” ARISTOTELIS**

Estudio, edición y traducción del ms. 1877 de la B. N. de Madrid

**vol. I**

**Francisca Navarro Sánchez**

**TESIS DOCTORAL**

Dirigida por la Dra. Cándida Ferrero Hernández

Departamento de Ciencias de la Antigüedad y de la Edad Media  
Facultad de Letras

UAB  
2009

## LIBER IX

### Questio prima

#### *Sermo ergo de principio generationis hominis et cetera.*

Hic restat querere circa nouenum.

1. Et primo generaliter, secundo specialiter.

Primo queritur quare aranea rapit, formica deponit, apis construit. 5

Et quare formica operatur de nocte, apis autem et aranea de die.

Et quare formica melius operatur in plenilunio.

Ad primum istorum dicendum quod, sicut dicit philosophus in libro *De celo et mundo*, substantia, uirtus et operatio habent ordinem. A substantia enim egreditur uirtus, et a uirtute egreditur operatio, et quia inter animalia anulosa hec 10 animalia, quia sunt parua, sunt debilis uirtutis, et propter hec autem ipsa esse sollicita circa nutrimentum, unde formica, quia habitant in terra, non possunt rapere uolatilia parua nec alia animalia propter paruitatem sui corporis, et propter hoc accipiunt grana et deponunt ipsa. Apes autem sunt uolatilia, sunt debilia quia non posunt rapere sed construunt sibi nutrimentum. Aranea autem non est uolatile nec 15 habitat in terra, sed est in medio et propter hoc /268ub/ facit telam per quam rapit uolatilia parua.

---

1. questio prima *mg.*; 3. octauum de animalibus anulosis *lituratum*

Causa autem quare apes sunt uolatilia et uolant per aera, formice manent in terra, aranee in medio, est hec quod in positione apis dominantur leuia. Vnde suum  
20 uenenum est calidum. In positione formice grauia. In aranea partim grauia, partim leuia, ita quod nec est uolatile nec habitant in terra.

Ad secundum dicendum quod apis facit fanum ex floribus quas aquirat uolando et quia nox impedit suum per frigiditatem et humiditatem, non operatur de nocte nec patet operari de nocte. Aranea autem operatur ad capiendum, muscas et  
25 in principio diei et in fine plus uolant hec animalia, propter hoc istis horis diei plus operatur aranea. Formice autem uadunt et reddeunt propter eandem uiam et propter hoc in die non possunt operari, quia alia animalia ipsa, et propter hoc operatur de nocte quando alia animalia requiescunt, et maxime in plenilunio propter qualitate lune. Vnde melius possunt inuenire nutrimentum. Secunda causa est quia  
30 non est lumen sine calore. Hec autem animalia sunt ualde frigida et propter hoc iuuantur a lumine lune in plenilunio.

Circa secundum queritur primo de aranea.

Secundo de apibus.

Tercio de uespis.

35 Et primo queritur de generatione tele aranee ex qua materia generetur. Secundo utrum generetur ex superfluitate aranee.

**2.** Contra primum sic: duplex est operatio. Quedam est operatio ab extrinseco ut facere in homine, quedam autem ab intrinseco, ut facere telam in aranea. Sed dicit philosophus in secundo *De anima* quod eadem est natura medii et  
40 obiecti et organi, ergo sicut operatio ab extrinseco est per medium extrinsecum, similiter operatio ab intrinseco est per medium intrinsecum, ergo tela aranee est ab intrinseco principio ipsius aranee.

Propterea aranea rapit per telam sicut alia animalia per ungulas et dentes. Sed ungule in aliis animalibus sunt a principio intrinseco, ergo eadem est a  
45 principio intrinseco.

---

35 et 38. telle , tellam -l- *expunctuata*

Propterea eadem sunt principia essendi et conseruandi. Sed esse habet aranea a suis partibus, ergo similiter conseruari. Sed per telam autem conseruat araneam, ergo tella aranee est ex partibus suis extrinsecis.

Contra dicit philosophus in capitulo in quo probat quod sperma non dabitur ex uirtute membrorum quod nullum generans dat aliquid generato de substantia sua, ergo tela aranee non est de substantia ipsius. 50

Propterea dicit philosophus in libro *Phisicorum* materia ipsius, ergo tela aranee non generatur ex substantia ipsius aranee.

Propterea dicit Constantinus quod crudum potest decoqui, sed coctum non potest incrudari, ergo cum tela aranee fiat ex humiditate glutinosa, illa humiditas non fuit pars ipsius aranee, quia si id quod est iam conuersum in membra fieret humiditas, iam coctum posset incrudari quod est inconueniens. Ergo tela aranee non generatur ex substantia ipsius. 55

Quod concedo.

Ad primum in contrarium dicendum quod a principio intrinseco est tela aranee, sed non a uirtute membrorum, sed a superfluitate aranee, sicut cornua et dentes in animalibus. 60

Per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum quod philosophus uult dicere quod sicut sumus ex mixtis, sic nutrimur ex mixtis. Non inde oportet quod id idem quod est principium essendi sit nutrimentum. 65

Vel dicamus quod idem sunt principia essendi et conseruandi, loquendo de illis quae conseruant rem materialiter sicut nutrimentum, sed per tellam conseruant araneam effectiue et non materialiter, et propter hoc tu non obicis.

Circa secundum hec sic, si tela aranee est a superfluitate aut ergo illa qua indiget aut qua non indiget, non ex illa qua indiget, quia superfluitates residuitatis, sicut sperma, lac et menstruum, sunt propter esse speciei, non propter esse indiuidui. Sed tela est propter esse indiuidui, nec illa qua non indiget, quia 70

---

68. per *add.*

superfluitates impuritatis non sunt ad conseruationem nature, si expellit ipsas natura  
75 nocentes, sed per tellam conseruatur aranea, ergo tela non est ex superfluitate  
impuritatis nec residuitatis ut probatum est, ergo non est ex superfluitate.

Contra tela est in aranea ad rapiendum, sicut ungula et dentes in aliis  
animalibus sunt ex superfluitate, ergo tela aranee est ex superfluitate.

Propterea dicit philosophus in literis quod exitus eius est sicut cortex, sed  
80 cortex et squama in piscibus est ex superfluitate, ergo tela aranee est ex  
superfluitate.

Quod concedo.

Ad tertium dicendum quod in animalibus que generantur complete et sine  
medio superfluitates /269ra/ residuitatis sunt propter esse speciei, sed in aliis aut non  
85 generantur complete aut sunt propter esse speciei et indiuidui.

Iusta hoc queritur per quam uiam facit aranea telam.

Et quare tela aranee restringit sanguinem et consolidat uulnera.

Ad primum dicendum quod, sicut dicit Ysaac, pisces squamosi sunt boni,  
quia eorum superfluitates transeunt in squamas, non squamosi autem sunt mali,  
90 quia multum habent de superfluitatibus, sicut anguila et congruus, quia ergo aranea  
non habet testam nec squamas, sed est ualde mollis et habet quasdam humiditates  
glutinosas circa corpus suum inuiscatas facit, ergo telam hoc modo: Si locus ibi  
uult extendere fila sua fit continuus, ut ab una fenestra ad aliam collateralem, facit  
filum de illa humiditate et figit in aliquo loco cum pede et tam cito adheret, quia  
95 sua humiditas est glutinosa, et postea uadit usque ad alium locum continue  
operando filum, et quando uenit ad locum, trahit filum et extendit, et post figit in  
loco illo et ex quo habet unum filum faciliter mediante illo operatur totam telam. Si  
autem locus ad quem uult dirigere filum non sit continuus, sed ab una domo ad  
domum appositam, figit filum suum in loco alto et postea procedit descendendo

---

80. ex *M*; 85. aut *add.*

89. quia *M*; 95. glutisa *M*

cum filo, et iubuit se †g...ccule† quando filum est longum et dimitit se cadere supra 100  
locum et figit ibi filum suum, et operatur mediante filo illo totam telam.

Ad secundum dicendum quod tela aranee frigida est et sicca quia est ex  
superfluitate, et membra generata ex superfluitate sunt frigida et sicca, sicut dentes,  
cornua et pilli. Iterum est glutinosa ratione humiditatis ex qua generatur, et propter  
hoc quia frigida est sicca, ideo est stiptica et restringit sanguinem, quia glutinosa 105  
consolidat uulnera.

**3.** De apibus autem queritur primo ex qua materia generetur mel, quia  
complexio sequitur materiam, ergo cum mel sit calida et sicca, sicut apes  
materialiter, uidetur quod materia melis fit ex apibus.

Propterea hec operatio est ab intrinseco ergo per medium intrinsecum, sicut 110  
uidemus quod texere est in aranea et dentes in animalibus, ergo mel est de  
substantia apis.

Contra dicit Auicenna et Ysaac quod mel fit ex rore celesti et ex floribus,  
ergo materia melis non est ab apibus.

Propterea materia et efficiens numquam communicant ergo cum melis sit 115  
effectum ab apibus, non erit materialiter ab ipsis.

Iusta hoc queritur utrum apes nutriantur ex cera uel ex mele, quia calidum et  
humidum sunt principia uite, sed cera est calida et humida, mel autem calidum et  
siccum, ergo ex cera nutriuntur et non ex melle.

Contrarium autem uideamus ad sensum. 120

Propterea hoc dicit philosophus.

Propterea solum dulce nutrit, sed mel est dulce ergo nutriuntur ex melle et  
non ex cera.

Ad primum dicendum quod materia melis uel faui non est ab apibus sed a  
rore celesti et floribus, sicut dicit Auicenna, cuius signum est mel est dulce, sicut 125  
ros celestis et flores.

---

104. glutisa *M*; 113. foribus *M*

125. foribus *M*; 126. fores *M*

Ad argumentum dicimus quod quodam est medium operationis effectuum, sicut tela in aranea et dentes in animalibus, et tale medium est ab intrinseco, sicut sua operatio.

130 Est et aliud medium non effectuum sed materiale, sicut nutrimentum est medium conseruandi, et tale medium est ab intrinseco quia ergo mel est medium conseruandi, et apes materialiter, cum sit earum nutrimentum, est penitus ab intrinseco.

Ad secundum dicendum quod apes comedunt mel et non ceram, quia mel  
135 est dulce et est calidum et siccum. Ista autem animalia sunt terrestria excellenter in quantum uiuunt et propter hoc iuantur a suo contrario huiusmodi est mel et non cera.

Per hoc patet ad tertium. Licet enim cera sit calida et humida, tamen quia mel est dulce, non autem cera. Et quia etiam mel est ex artibus et medicina, ideo  
140 plus dilligunt mel quam ceram. Non enim faciunt ceram nisi propter mel, quia enim mel est corpus liquidum, non potest conseruari nisi in loco solido, et propter hoc faciunt ceram ad conseruationem mellis.

Iusta hoc queritur quere mel sit calidum et siccum et cera calida et humida.

Quare de fauo, de manna et laudano non determinauit philosophus in libro  
145 *Meteororum*, ubi determinat de impressionibus, cum ita faciant mediante impresione.

Et quare cera apis est sexangularis, id est habens sex angulos.

Et quare in apibus femine sunt mares et habent acculeum, mares autem sunt minores et inhermes.

150 Et quare mel ponitur in medicinis, cera autem in emplaustis.

Et quare mel petit fundum et cera autem supernatat.

Et quare mel calefacit corpus humanum et tamen extinguit ignem. Cera autem est pabulum ignis et non calefacit corpus humanum.

Vinum extinguit /269rb/ ignem et calefacit corpus humanum.

---

152 semper calefacit *lituratum*; 153. et inflat corpus *lituratum et expunctuatum*

- Et quare inflat corpus, nec tamen ignem augmentat plus quam alia materia. 155
- Et quare quando apes recedunt uel recedere debent, custodes spargunt uinum dulce, semper alueat †gu...esel† ruthe.
- Et quare apes per sonitum capiuntur.
- Et quare apes plus eligunt sibi castaneam quam aliam arborem.
- Et quare dicitur mel quod petit fundum in scutellam, est melius, illud autem 160 quod est superiori parte aluearis siue ruthe est peius.
- Et quare apes incipiunt opus suum a parte aluearis.
- Et quare etiam uinum in doleo melius est in medio dolei, oleum autem in superficie et mel in fundo.
- 4.** De uespis autem queritur quare habitant in terra. 165
- Et quare in domibus earum non inuenitur mel, sed inuenitur aliquid loco cere.
- Et quare apes si cadant in oleo, moriuntur.
- Et quare etiam apes et musce uolitant circa lumen et precipitant se et interfficiuntur. 170
- Et quare apes quando pungunt moriuntur.
- Ad primum istorum dicendum quod fauus fit ex rore celesti, unde, sicut ex rore celesti, ex priori et subtiliori parte fit mana, ex grossiori fit laudanum substantia, ex subtiliori parte fit cera, ex grossiori autem fit mel. Quare quia, sicut dicit Ysaac, ibi grossa substantia fundatur, sapor dulcis fundatur et propter hoc 175 sapor dulcis est in melle et remanet sapor stipticus in cera. Quia ergo apes plus operantur in melle quam in ceram, relinquunt ibi quoddam accumen, sicut dicit Ysaac, quo mediante mel est calidum et siccum. Et propter hoc mel aptumnale melius est quam uernale, quia mel autumnale magis perfecte operatum est. In uere enim incipiunt suam operationem. 180
- Per hoc patet quare mel est laxatum, quia calidum et siccum est, et abstringit et mundificat. Cera autem restringit quia glutinosa est. Mel autem ratione sue

---

169. lum- *lituratum*



adherencie sordidat corpora munda, ut manum uel panum, sed uulnera abstringit et mundificat consumendo humiditates superfluas et atrahendo.

185 Ad secundum dicendum quod quedam sunt impressiones in quibus sufficit agens uniuersale et de illis determinat philosophus in libro *Metheorum*, ut de galaxia, stella, comata et huius. Quedam autem sunt in quibus requiritur agens particulare, ut in manna, laudano, ubi acquiritur artificio hominis. Colligunt enim homines rorem et desiccant ad solem. In fauo autem requiritur artificio apis  
190 et de talibus non determinat philosophus.

Ad tertium dicendum quod apis habet tria paria pedum et duo additamenta, et secundum hoc requiruntur quattuor selle et requiruntur alie due: una propter capud, alia propter cribanum.

Ad quartum dicendum quod, sicut dicit philosophus, reges non sunt in  
195 apibus nisi ad ducendum apes et maxime pupillos apum. Vnde si unus pullus amisus fuerit, rex uadit ad querendum ipsum, quia ergo mares manent in aluari et custodunt pullos apum, femine uero uadunt in exercicio, mares fuerunt parui et inhermes, femine maiores et habebant acculeum.

Ad quintum dicendum quod mel ponitur in melle, ut propter dulcedinem  
200 suam reprimat ad maritudinem aliarum. Ponitur etiam, sicut esca, in hamo, ut propter dulcedinem mellis atrahant membra materie. Tertia causa est ut preseruetur medicinam a corruptione. Cera autem ponitur in emplaustis, quia glutinosa est ut teneat et congreget pulueres que ibi ponuntur.

Ad sextum dicendum quod cera est calida et humida et ita nature aeree. Item  
205 est glutinosa, et propter hoc supernatat, sed mel est magis terrestre et grossum et propter hoc petit fundum.

Ad septimum dicendum quod calor ignis subito agit et propter hoc a frigido et humido actu superdominante extinguitur. Vnde mel actu fit frigidum et humidum, et similiter uinum, ideo extinguunt ignem. Sed ista calorem nostrum siue  
210 nostri corporis inflant. Calor enim noster operatur paulatine, et primo expolliat ipsum mel forma actuali, deinde remanet sub complexione essenciali et inflat

corpus nostrum. Eodem autem modo est de pipere. Est enim piper frigidum actu et calidum in essencia.

Per hoc patet solutio ad octauum.

Ad nonum dicendum quod apes remanent si aspergatur alueare uino dulci, 215  
quia uinum est dulce sicut mel quod erat suum nutrimentum.

Secunda causa est quia uinum est calidum et siccum, hec autem animalia sunt frigida excellenter.

Ad decimum dicendum quod, sicut dicit philosophus, hec animalia remanent post sonitum uel propter timorem uel propter delectationem, quia sunt 220  
animalia atotala et delectantur in sono.

Ad undecimum dicendum quod apes que faciunt fauum de floribus plantarum maxime /269ua/ uel arborum, dilligunt arbores et maxime castaneam, quia ad opus ipsorum requiritur concauitas, hec autem arbor maxime est concaua et porosa. 225

Ad duodecimum dicendum quod mel quia est grossum et terrestre, petit fundum et propter hoc, quia petit fundum, melius est id, quod est in suprema parte aluearis, melius est quia super id plus operantur apes, ibi enim primo incipiunt operationem suam.

Ad tertium decimum dicendum quod una causa est quia locus ille magis 230  
remouetur ab introitu et nollunt impedire introitum suum.

Secunda causa est quia sic melius operatur semper descendendo.

Ad quartum decimum dicendum quod mel est terrestre et grossum et propter hoc in fundo est melius, oleum autem aereum, sicut dicit philosophus in libro *Metheorum*, et propter hoc melius est in superficie. Sed uinum est mediocre 235  
nature inter hoc et propter hoc est melius in medio.

Ad quintum decimum quod uespe pungunt animalia gressibilia sicut equas et uaccas, et propter hoc in terra habitant ut melius possint animalia illa persequi.

---

223. planta, arbor *M*

226. et *add.*; terrestre *M*

233. terrestre *add.*; et *add.*

Ad sextum decimum dicendum quod mel fit ex floribus et rore celesti et  
240 uespe comedunt ex floribus et rore celesti, et uespe cadauera et res solidas et  
modicum aut nil habent de mele.

Ad septimum decimum dicendum quod apes, si cadunt in oleo, moriuntur  
propter uiscositatem olei, que retinet ipsas ita quod non possunt se expere et  
propter hoc moriuntur, et propter hoc quod oleum est ualde penetratiuum et hec  
245 animalia sunt porosa, cum sint athotala, id est per totum sonancia. Vnde penetrat  
immediate ad cor uel ad id quod habent loco cordis, et propter hoc moriuntur.

Ad duodeuicesimum dicendum quod hec animalia sunt ualde frigida, unde  
dilligunt lumen et calorem. Et propter hoc uolitant circa lumen et precipitant et  
moriuntur, quia seccuntur iuuamentum presentis et nesciunt precauere a  
250 noccumentis futuris.

Ad undeuicesimum dicendum quod quando pugunt eiciunt intestinum suum  
et propter hoc moriuntur. Et nota quod hec animalia dilligunt serenum tempus, tum  
quia in tempore sereno plus inueniunt de rore, tum quia in tempore pluuioso non  
possunt uolare et non possunt operari.

## **Questio secunda**

### ***Et si natum fuerit femina et cetera.***

Circa nouenum restant questiones quedam.

1. Et primo queritur quare lupus et animalia rapacia peiora sunt et magis inordinata ante cibum quam post. 5

Et quare lupus timet ignem.

Et quare plures sunt aues quam lupi cum lupa pariat sibi multos filios, auis autem non parit nisi unicum fetum.

Et quare lupi quando senescunt plus nocent hominibus.

Et quare timent faciem hominis. 10

Et quare plus timent homines in nemore quam in plano siue campo.

Et quare bos siluestris est multi stercoris.

Et quare animalia habencia longa crura de facili patiuntur fluxum uentris sicut quidam homines, grus, heron et ardea et huiusmodi.

Et quare animalia ruminancia faciunt gregem. 15

Et quare plus ruminant domestica quam siluestria.

Et quare omne animal carens dentibus in mandibula superiori ruminat et non e contrario. Mures enim ruminant et habent dentes in utroque mandibula.

Et quare maior est distinctio in uoce et in figura inter gallum et gallinam quam inter cetera animalia. 20

Et quare etiam gallus cantat in horis determinatis.

Ad primum istorum quod animalia rapacia acquirunt sibi nutrimentum suum cum pena et labore, et propter hoc ante cibum et in hora cibi sunt ualde forcia et

---

1. questio secunda *mg.*; 3. octauum *lituratum*

inuadunt quodlibet obiectum uelud †...† nutrimentum sicut animalia, uel quia timet  
25 ne aliquis auferat sibi cibum suum siue nutrimentum, sicut homo. Sed post cibum  
requiescunt et non curantur de tensus transeuntibus. E contrario, autem est de  
homine, quia ante cibum uirtus regitiua intendit operationibus animalibus. Vnde  
fiunt homines mansueti, ordinati et boni iudicii. Sed post cibum operationes  
naturales augmentantur et animales amituntur, et fiunt homines inordinati et parui  
30 iudicii.

Propterea tunc augmentatur calor naturalis et spiritus confidunt de se ipsis et  
cito ruunt in arma et sunt magis inordinati quam ante cibum.

Ad secundum dicendum quod una causa est quando lupus inuadit hominem  
prius inficit aera ut per hoc debilitet hominem. Ignis autem remouet infectionem  
35 aeris, et propter hoc non potest ei nocere quando habet ignem et hac de causa timet  
lupus ignem. Vnde narrat quidam commentator quod aer apud Athenas fuit infectus  
quod scolares moriebantur e †sydina†. Ypocrates autem uidens hoc fecit comburi  
quecum erant extra ciuitatem et fieri ignes circumquaque ciuitatem, et propter hoc  
remouit infectionem aeris et tunc uoluerunt ipsum Ypocratem adorare. Et ipsius  
40 fugit et abscondit se et tunc ipsi ymaginem quamdam quam fecerunt Ypocratis.

Secunda causa est quia lupus contrarius est homini ipsi. Vnde illa /269ub/  
que confortant hominem debilitant lupum, et e contrario. Et quia per ignem  
confortatur homo, per ignem debilitatur lupus et propter hoc timet ignem.

Tertia causa est quia lupus timet multum faciem hominis, et quia per ignem  
45 manifestatur lupo facies hominis, propter hoc multum timet ignem.

Ad tertium dicendum quod una causa est quia lupus uel lupa iuuenis non  
generant iuuentibus parentibus suis. Ouis autem cito generare et generat quolibet  
anno unum fetum.

Secunda causa est quia licet lupa multos concipiat, tamen raro ueniunt ad  
50 perfectionem, est enim animal quod requirit multum nutrimentum, et quando  
generatur, non potest rapere, et propter hoc quandoque pereunt fetus in utero.

---

36. narat *M*

Tertia causa est quia quedam sunt animalia sicut ouis et huius, de istis creauit deus in principio plura paria, sed de animalibus non neccessaris, sicut de lupis et leonibus, unum par solum, et propter hoc plures sunt oues quam lupe. Et si tu obicis de Archa Noe, similiter dico quod de animalibus utilibus, sicut de ouibus, 55 posuit ibi multa paria, de inutilibus autem posuit unum solum par.

Ad quartum dicendum quod lupi quando senescunt fiunt graues et inhabiles ad motum, et propter hoc non possunt rapare animalia per suum motum et tunc ueniunt prope ciuitates et insidiatur hominibus, ouibus et porcis et aliis animalibus que possunt rapere. 60

Ad quintum dicendum quod lupo contrahitur homini et e contrario, et quia homo magis uidetur esse homo in facie quam in alio membro, propter hoc timet lupo faciem hominis. Vnde quando comedit hominem, comedit ipsum pronum ad terram ne uideat faciem. Ad sextum dicendum quod lupo multum timet hominem, et propter hoc quando est in nemore, timet quia uidetur sibi de arboribus, 65 quod sint homines et de strepitu quod faciunt arbores, tradit quod sunt homines uenientes.

Ad septimum dicendum quod uaca comedit nutrimentum ubi multum est de impuro et bibit aquam ualde claram que multum est lubricatiua et propter hoc est multi stercoris. 70

Ad octauum dicendum quod uirtus expulsiua uiget per longum. Digestiua autem per latum. In digestiua enim est motus a centro ad circumferenciam, et propter hoc in animalibus longi cruris est fortis expulsiue et cito paciuntur fluxum uentris.

Secunda causa est ex quo crura sunt longa, clibanum, id est corpus, est 75 paruum et e contrario. Vnde nanus in sedendo uidetur esse magnus et quando clibanum est paruum, intestina sunt curta, et propter hoc parum morantur egestionem in intestino et cito paciuntur fluxum uentris. Vnde ille qui uult dare

---

66. qui *M*; quod *add.*

medicinam laxatiuam, debet considerare quantitatem crurium, quia tales cicius  
80 ducuntur quam alii.

Ad nonum dicendum quod animalia ruminancia habent copiam nutrimenti  
et conueniunt in nutrimento, et propter hoc faciunt gregem, animalia autem rapacia  
non quia non habent copiam nutrimenti.

Ad decimum dicendum quod animalia siluestria sunt in maiori motu quam  
85 domestica, nec habundant in nutrimento sicut domestica.

Propterea domestica habent cibum magis humidum, et propter hoc plus  
ruminant domestica quam siluestria.

Ad undecimum dicendum quod mures capiunt nutrimentum cum timore et  
propter hoc quando capiunt non possunt bene digerere sed postea redducunt ad os  
90 et ruminant.

Ad duodecimum dicendum quod, sicut dicit philosophus, sexus est maxime  
distinctus et quia gallus et gallina inter cetera animalia sunt ualde domestica  
homini, propter hoc plus fuit sexus distinctus a parte uocis et figure quam in aliis.

Secunda causa est quia gallina est ualde temperata respectu hominis, unde  
95 alterat calorem nostrum. Gallus autem est distemperatus, unde brodium galli laxat  
uentrem. Cetera autem animalia in utroque sexu distemperata, propter hoc maior  
fuit differentia in sexu istorum quam aliorum.

Tertia causa est, sicut dicit philosophus, masculus uocat feminam in hora  
coitus, et quia gallus habet multas feminas, oportuit quod haberet alteram uocem et  
100 propter hoc inter gallum et gallinam manifesta est differentia a parte uocis.

Ad tertium decimum dicendum quod secundum diuersas causas mouentur  
diuersi humores in corpore: sanguis in principio diei, colera in meridie, melancolia  
in uesperis, flegma in nocte. Et quelibet quadra sex horas quia secundum quattuor  
quadras dicitur, dies naturalis et in die naturali sunt XXIV hore. Gallus autem est  
105 animal sollicitum circa multas feminas, et est animal temperatum, et propter hoc ad

---

83. copia *M*

89. quando *mg.*; 102. diuersas *M*

confortandum feminas suas cantat et distincte secundum quadras sunt, secundum quod mouetur hic humor uel ille et antequam cantet, uerberat se alis, et hoc est per eandem uiam per quam fuit alites id est inuolumptae extenssiones brachiorum hominum quia in sopno agregantur multe superfluitates in subascellis, quia ibi est emuntorium corporis et propter hoc post sopnum fuit alites quia per extenssionem 110 brachiorum diuidunt /270ra/ et expelluntur ille superfluitates et eodem modo est de alis in gallo, sicut de brachiis in homine et propter hoc gallus extendit alas antequam cantet quantum iste superfluitates impediabant ipsum in cantando.

---

113. cantado *M*





## LIBER X

### Questio prima

*Forte autem accidit et cetera.*

Circa decimum librum queritur primo de tempore generationis. Secundo de menstruo.

1. Circa primum sic dicit philosophus: quod non est generatio sine 5  
delectatione, sed maior est delectatio in adhulescentia quam in iuuentutem, ergo in  
adhulescentia est completa generatio.

Propterea in generatione requiritur decisio spermatis quod est calidum et  
humidum. Sed adhulescentia est calida et humida, iuuentus autem calida et sicca,  
ergo in adhulescentia magis est completa generatio quam in iuuentute. 10

Contra dicit philosophus in nono quod generatio non est conueniens nisi  
post tria septimana, sed in hoc tempore est iuuentus, ergo in hoc tempore scilicet  
iuuentute magis est completa generatio.

Propterea uirtus est immediata causa generationis. Dicit enim Haly quod  
fortis uirtus generat masculos et debilis feminas, sed forcior est uirtus in iuuentute 15  
quam in adhulescentia, ergo in iuuentute magis uiget generatio quam in  
adhulescentia, ergo.

---

1. questio prima *mg.*; 4. menstruo *M*  
11. hoc *lituratum*

Quod concedo.

Ad oppositum enim dicit Galenus quod uirtus naturalis fortior est in pueris  
20 aliis iuuenibus, sed generatiua.

Ad primum istorum dicendum quod delectatio non est causa sufficiens  
generationis, multociens enim delectatio sine generatione, sed uirtus est causa  
immediata generationis. Et quia in iuuentute forcior est uirtus, ideo tunc est  
generatiua magis completa.

25 Ad secundum dicendum quod sperma sine dubio plus habundat in  
adholescentia, sed tamen uirtus non est adhuc completa sicut in iuuentute.

Ad tertium dicendum quod adholescentes multum coeunt et habent magnam  
delectationem quia de nouo incipiunt. Sed tamen quia uirtus generatiua sequitur rei  
complementum, tunc enim est unumquodque magis perfectum cum potest generare  
30 sibi simile, propter hoc in etate iuuentutis in qua uirtus est magis completa, uiget  
generatio.

Iusta hoc queritur quare masculi cicius complentur et augmentantur in utero  
quam femine. Extra uterum autem est e contrario quod femine cicius perueniunt ad  
augmentum debitum.

35 Et quare etates distinguntur per septennium morbi similiter per septennium  
annorum.

Ad primum istorum dicendum quod sicut dicit Galenus nos sumus creati in  
ultimo limositatis et humiditatis et hec humiditas maxime uiget in utero et quia ad  
augmentum requiritur humidum extensibile et calor agens. Ista humiditas in utero  
40 obtundit calorem et impedit augmentum, et masculus beneficio sexus habet plus  
de calore et propter hoc in utero cicius peruenit augmentum. Extra uterum autem  
est e contrario, quia humidum extensibile extra uterum induratur, et propter hoc  
membra in femina sunt magis mollia et extensibilia quam in masculo. Cicius  
peruenit ad augmentum extra uterum femina quam masculus.

---

21. genera *expunctuatum*

34. ad *M*

Ad secundum dicendum quod femina in generatione est sicut paciens, uir 45  
autem sicut agens et quia plura requiruntur ad agendum quam ad paciendum, cum  
nobilius sit agere quam pati, tardius incipit generatio in uiris quam in feminis et  
tardius desinit, quia quanto res est nobiliori modo et forciori et etiam forciori de  
causa inest, tanto diucius perseruerat. Et propter hoc quia in generatione uir est  
nobilior quam femina, diucius durat generatio in uiro quam in muliere. 50

Secunda causa est quia uir in generatione non operatur nisi ad tempus, sed  
femina continue operatur, portat enim fetum in utero et nutrit ipsum. Et propter hoc  
plus debilitatur femina in generatione et cicius dimitit generare quam uir. Vnde  
unus uir plus posset fecundare quam multe mulieres reccipere.

Tertia causa est quia a parte mulieris requiruntur duo scilicet sperma et 55  
menstruum. A parte autem ipsius uiri solum sperma et propter hoc cicius deficit  
generatio in mulieribus quam in uiris.

Ad tertium dicendum quod sicut dicit Albumasar luna est sicut mediatrix et  
†baluia† omnium impressionum quas imprimunt corpora superiora in hec inferiora.

Et propter hoc, secundum quod luna mouetur in suo circulo per quadras 60  
fiunt, impressiones in istis inferioribus, et quia iste motus procedit per septemnum,  
mouetur enim in septem diebus per unam quadram et propter hoc et etates morbi  
distinguntur per septemnum et omnia opera nature. Vnde etiam Dominus noster  
septima die requiescit ab onni opere quod patrat et etiam omnes homines in  
septima die requiescunt. 65

Ad quartum dicendum quod motus nature est per septemnum, si ergo  
mobile sit, facile mobile mouetur per septemnum dierum, sicut patet in morbis  
accutis, et quia natura non potest mouere per septemnum dierum, mouet per  
septemnum uel mensium, quia ergo consumptio, per quam procedunt etates, est  
paulatina, procedit per septemnum annorum. 70

---

45. agens *M*

63- 64. una *lituratum*; septima *mg.*

64. patrarat *M*

2. Circa secundum queritur primo utrum menstruum sit necessarium in generatione.

Secundo utrum menstruum decidatur a toto corpore.

Tertium utrum a quolibet humore.

75 Quartum quare menstruum in uirginibus et in uetulis est album, in aliis autem est rubeum.

/270rb/ Circa primum, sicut dicit philosophus in littera, quod quedam sunt mulieres uiragines, que generant et numquam menstruant, ergo cum sine menstruo possit esse generatio, menstruum non est necessarium in generatione.

80 Propterea si menstruum esset necessarium in generatione, tunc in omnibus generationibus esset menstruum. Sed hoc est falsum, quia sola mulier menstruat, ergo menstruum non est necessarium in generatione.

Contra sicut fetus ex spermate generatur sic ex lacte et menstruo conseruatur. Ergo cum fetus generatur, indigeat conseruationem, menstruum est  
85 necessarium in generatione.

Propterea dicit auctor in littera quod primo generatur fetus in quantitate formice, sed tale corpus non posset peruenire ad quantitatem perfectam sine sanguine menstruo, ergo sanguis menstruus est necessarius in generatione.

Ad hoc dicendum quod, sicut dicit Auicenna, multe sunt porciones  
90 menstrui. Vna porcio est ex qua complentur membra radicalia.

Secunda autem portio est ex qua generantur membra replentia ut pinguedo et zirbus.

Tertia ex qua generantur membra superflua ut pilli, dentes et cornua. Et quantum ad istas tres portiones menstruum est in omnibus generationibus.

95 Quarta portio est ex qua nutritur fetus intra et extra, et uocatur menstruum intra, lac autem appellatur extra. Et hec portio est in omnibus animalibus que generantur sine medio.

---

90. quo *M*; qua *add.*

Quinta portio est que fluit qualibet mense et hoc appellatur menstruum, quia de mense in mensem fluit. Et hoc modo loquendo de ista, solum mulier habet menstruum. 100

Per hoc patet solutio ad argumenta.

3. Circa secundum huius sic: ex eisdem sumus et nutrimur, ergo sicut sperma, ex quo sumus, deciditur a toto corpore, similiter menstruum ex quo nutrimur.

Contra sanguis menstruus fluit a regione digestiue, ergo non fluit ex toto corpore. 105

Quod concedo. Dico enim quod sicut nutrimentum plante prima digestionem digeritur in uisceribus terre, secunda et tertia in planta, sic nutrimentum fetus prima et secunda et digestiue digeritur in epate matris et hatrahit puer per umbilicum et digerit in ipsum intra digestionem. 110

Ad argumentum dicendum quod sperma uenit a membris tercię digestiue, sed menstruum terciam digestiuam reccipit in puero, quod non potuit facere sperma, et propter hoc a toto corpore uenit sperma, non autem menstruum, sed solum a regione tercię digestiue.

Vtrum menstruum decidatur a quolibet humore. 115

Quare menstruum in uirginibus et in uetulis est album.

Ad primum quesitum dicendum quod menstruum uenit ex quolibet humore, quia restaurat deperditum. Sed dicitur sanguis menstruus propter hoc, quod est rubeus sicut sanguis.

Ad secundum quod in uirginibus uasa non sunt fracta, et propter hoc illud quod est rubeum nec remanet in corpore, et hatrahitur a natura, scilicet sanguis, et quia per presentiam sanguis erat rubeus color, in menstruo remanet color albus 120

---

107-110. Nota quod fetus atrahit nutrimentum per umbilicem *mg. alia manu*

110. digestionem *M*

115-116. Vtrum menstruum decidatur a quolibet humore. Quare menstruum in uirginibus et in uetulis est album *in inferiori margine*

122. presentia *M*

ac si esset aquositas. In uetulis autem est album menstruum quia non est ibi nisi aquositas et deficit sanguis cuius est rubiadare.

## **Questio secunda**

### ***Forte autem quibusdam uiris et mulieribus et cetera.***

1. Hic restat querere de menstruo, et primo quare plus menstruum fluit de mense in mensem et numquam emoroide.

Quare emoroide plus sunt in iudeiis quam in aliis hominibus. 5

Quare in prima quadra et tertia fluunt aque, in secunda autem et quarta reddunt.

Quare etiam mare fluit et refluit secundum quadras, non autem aque dulces.

Et quare etiam quoddam mare quod non fluit et refluit.

Et quare etiam menstruum et Nilus fluunt completa lumine et non in prima 10 quadra, cum de aliis humidis fit e contrario.

Quare etiam secundum quadras lune non fluit et refluit ignis uel aer sicut aqua.

Et quare terra nec fluit et refluit.

Quare. 15

Ad primum istorum dicendum quod luna a uirtute consequentie totam speciem habet posse super omne humidum, sicut dicit philosophus. Et hoc intelligendum est de illis humidis que naturaliter mouentur sicut est motus maris et menstrui in mulieribus et quia fluxus emoroydarum est fluxus siue motus innaturalis, non mouetur secundum influentiam lune secundum menstruum. 20 Secunda causa est quia luna habet posse super humidum fluxibile, quia ergo

---

1. questio secunda *mg.*  
19. emoydarum *M*



materia emoroidarum est melancolica, compacta et terrestris, non mouetur secundum quadras lune sicut menstruum.

Ad secundum dicendum iudei non comedunt carnes porcinas sed  
25 comedunt carnes caprinas et edulinas et †rala...as† et sed comedant arietas, licet sint sanguinee, saliant ipsas et ponunt in fumo et sic fiunt melancolice, et quia eorum nutrimentum est melancolicum et materia emoroydarum est melancolica, plus paciuntur emoroydas iudeii quam alii.

Ad tertium dicendum quod ad fluxum aquarum requiritur calor eleuans et  
30 materia obediens et quia in prima quadra luna est calida et humida, concurrunt iste cause et propter hoc fit fluxus aquarum. Sed in secunda quadra est calida et sicca, et ita deficit humidum et reddeunt aque ad proprium ortum. Et quia tertia quadra est in oppositum cum prima, et quarta cum secunda, eundem effectum uel aspectum tertia cum prima, et quarta cum secunda. Et propter hoc generaliter in prima quadra  
35 fluunt aque, in secunda refluunt, in tertia fluunt, in quarta refluunt.

Ad quartum dicendum quod una causa est quia luna effectiue mouet aquas a uirtute consequente totam speciem dispositione melancholice lumine et radiis suis, et quia aque dulces ita sunt liquide et subtiles quod non radii ad litora sunt et non possunt reuerberari propter earum subtilitatem, /270ua/ non obediunt influentie  
40 ipsius lune.

Secunda causa est paruitas ipsarum, quia propter paruitatem repercutiuntur radii ad litora et non possunt mouere aquam.

Tertia causa est quia uirtus mouendi aquas est in luna ratione elementi aquarum, et quia mare est elementum aquarum, cicius mouetur ex influencia lune  
45 quam aque dulces. Mare autem est in loco elementi proprio, cuius est quod non mouetur ad alium locum. Vnde non mouetur motu recto, sed motu uertiginoso. Sed aque dulces non sunt in loco proprio, et propter hoc mouentur ad mare et mouentur motu recto et si tu obicias.

---

38. est *M*; sunt *add.*

47. mouetur *M*

Quod autem alique sunt salse aque que tamen non mouentur secundum  
quadras lune, dico quod salsedo est ibi non essencialiter sicut in mari, sed 50  
accidentaliter.

Ad quintum dicendum quod quedam sunt maria que nimis sunt pissa et  
grossa, et illa non mouentur motu lune, quia deficit ibi humidum fluxibile obediens.

Ad sextum dicendum quod in prima quadra crescit omne humidum, unde  
tunc incipiunt crescere menstrua, continue augmentantur usque in plenam 55  
lunationem et tunc incipiunt fluere quia exuberantur in quantitate. Similiter dico de  
Nilo quod in prima quadra lune incipiunt augmentari et continue augmentantur  
usque ad plenam lunationem, sed hec augmentatio est insensibilis propter nimiam  
distantiam ipsius agentibus, fluit enim a paradiso terrestri. Et propter hoc paullatim  
uenit ita quod in fine lunationis, quando iam perfecte augmentatus est, dispergit se 60  
per terram Egipti naturaliter, et reddit terram fecundam et fertilem.

Ad septimum dicendum quod ignis et aer sunt elementa ualde rara, unde  
non possunt terminare radios, sicut aqua, et propter hec sunt inuisibilia et non  
mouentur ex influenza lune.

Secunda causa est quia aqua per motus preseruatur a putredine. Ignis autem 65  
non putrescit sicut aqua propter hoc non indiget motu, aer autem satis mouetur per  
motum uentorum, unde non indiget fluxu et refluxu sicut aqua.

Terra autem, quia est sicca et dura, non est obediens influentie lune, cum  
luna solum habeat posse super humidum.

---

55. augmentatur *M*; 57. incipit *M*  
59. terrestri *M*; 66. aqua *add.*

### Questio tertia

#### *Et debemus scire quod mulieres non reputant se et cetera.*

1. Hic queritur primo de menstruo, utrum fluxus naturalis menstrui sit paulatinus uel subitus.

5 Quia dicit Galenus quod omnes operationes nature sunt ordinate et paulatine, ergo fluxus naturalis debet esse paulatinus et non subitus.

Propterea dicit Ypocrates in *Regimine accutorum* quod omne subitum uel motus subitus repentinus inimicus nature, ergo fluxus menstruorum est paulatinus et non subitus.

10 Contra autem dicit in *litera* quod fluxus qui fit subito, fit sine dolore, qui autem paulatine, cum dolore, ergo fluxus naturalis est subitus.

Propterea dicit Galenus quod crisis est uehemens et uelox motus nature contra morbum, cito ducens ad salutem uel ad mortem, ergo fluxus naturalis menstruorum debet esse subitus.

15 Quod concedo quia motus uelox fit ex fortitudine uirtutis et obedientia mobilis, motus autem tardus e contrario.

Ad primum autem in contrarium dicendum quod subitus motus et uelox, aut fit ex forti uirtute et obedientia materie et sicut in expulssione menstruorum et in crissi et talis motus subitus non grauat naturam sed imitat ipsam. Aut fit motus  
20 subitus ex debilitate uirtutis et mala materia stimulante naturam, talis motus repentinus ledit naturam, et de tali loquitur Ypocrates et Galenus.

---

1. questio tertia *mg.*

6. naturalis *M*; paulatinus *add.*

12. uehemens *M*; salutem *M*

Iusta hoc queritur secundum quod dicit Galenus et Barus, natura procedit triplici motu contra morbum: motu digestionis et diuissionis et expulsionis, quare motus expulsionis fit subito, motus digestionis et diuissionis fit paulatine.

Quare etiam expulsio menstrui fit subito, nam autem sic est de expulsionem 25 urine, stercoris et sudoris.

Ad primum istorum dicendum quod motus digestionis est dispositio preuia ad expulsionem sicut alteratio ad generationem, et propter hoc sicut alteratio est paulatina et generatio subita, sic motus digestionis est paulatinus, motus autem expulsionis subitus. 30

Secunda causa est quia digestio est respectu materie indisposite et resistentis, et propter hoc sua actio est paulatina. Sed expulsio est respectu materie disposite iam digeste et obedientis, et propter hoc eius motus est uelox et subitus, quia fortitudo uirtutis et obedientia mobilis facit motum uelocem.

Ad secundum dicendum quod, sicut Algazel in sua *Methaphisica*, 35 unaqueque uirtus delectatur in sua propria operatione. Dico ergo quod menstruum magis est naturale, et sperma similiter, quam urina uel et egestio, et propter hoc plus delectatur natura in expulsionem menstrui quam in expulsionem stercoris uel urine, quia et plus in hoc delectatur, cicius mouet in hoc opere, scilicet in expulsionem menstrui quam urine, stercoris et sudoris. 40

**/270ub/ 2.** Postea queritur de generatione quare in initium generationis completum in homine est in XXI anno.

Et quare etiam motus periodicus plus sequitur hominem quam cetera animalia.

Et quare puella cicius concipiant quam alie. 45

Et quare puella in coitu habent delectationem cum tristitia.

---

23. sit paulati *expunctuatum*; et ex- *mg*.

25. menstrui *M*

35. sic *M*; *methaphisica M*; 37. naturalem *M*

41. complementum -men- *expunctuatum*

Et quare coitus immoderatus corpus debilitat, oculos excecatur, memoriam eneruat, senectutem accellerat.

Ad primum istorum dicendum quod, sicut dicit Galenus in *Criticis diebus*,  
50 quedam est particularis periodus, sicut septima dies et †quartana†, quedam est  
periodus uniuersalis, sicut XXI dies, et hec est prima periodus uniuersalis et  
continet tres periodos particulares, scilicet tria septimana, quia secundum periodos  
procedunt aspectus lune in prima periodo uniuersali, scilicet in XXI die et est in  
initium completum generationis in homine.

55 Ad secundum dicendum quod motus periodus ex ordine nature est, et quia  
omnia sunt ordinata ad hominem, cum homo sit quodam modo finis omnium, sicut  
dicit philosophus, plus sequitur homines motus periodicus quam cetera animalia.

Secunda causa est quia, sicut dicit Galenus, nos sumus creati in ultimo  
limositatis et humiditatis, et propter hoc cum aspectus lune proprie sit supra  
60 humidum, plus sequitur hominem motus periodicus quam cetera animalia.

Ad tertium dicendum quod, sicut dicit philosophus, non est conceptio nisi  
affuerit delectatio, et quia maiorem habent delectationem in coitu puelle quam alie,  
quia de nouo incipiunt, propter hoc cicius concipiunt quam alie mulieres.

Ad quartum dicendum quod omne insuetum in principio est quasi  
65 contrarium, unde in principio balnei et in introitu habemus quamdam  
oripillationem, et quia puellis coitus est inconsuetus, in principio est quodam modo  
contrarius, et quia contrarium parit tristitia. Sed in medio operationis antequam  
ueniat ad finem, est delectabile tamquam res noua placet, sicut dicitur in prouerbio,  
eodem modo est de balneo, in principio enim est quasi contrarium et refugit natura,  
70 sed postquam fuimus parum in balneo, est balde delectabile.

Secunda causa est quia in puella uassa sunt integra et in coitu rumpitur  
quoddam rete, quod est in orificio matricis et, sicut fit solutio continui, et inde fit  
dolor.

---

53. perido *M*

68. placent *M*; 72. quodam *M*

Ad quintum dicendum quod in coitu deciditur sperma quod generatur ex materia que immediate debet conuerti in membris, quia inmoderatus coitus subtrahit nutrimentum membris, debilitat ipsa et accellerat senectutem hominis. 75  
Oculos autem execat, quia oculi ex eadem materia sunt cum cerebro, quod in coitu multum debilitatur propter similitudinem quam habet cum spermate. Oculi qui sunt eiusdem compositionis in cerebro et sunt ualde sensibiles et leduntur, et per hanc uiam coitus inmoderatus execat hominem. Memoriam autem eneruat, 80  
quia, sicut dicit philosophus, homines post coytum propter memoriam habent coytus memoriam eorum quantum ad alia debilitat et per hanc uiam coytus eneruat memoriam.

Secunda causa est quia debilitat cerebrum et ita per conueniens memoriam que est uirtus cerebri. 85

Tertia causa est quia in coytu multum debilitantur nerui motiui, unde coytus inducit arteticam et quia nerui oriuntur cerebri, ita pupa ubi uiget memoriam, per compassionem multum leditur memoria et ita coytus eneruat memoriam.

### 3. Postea queritur de signis generationis.

Quare orifficium matricis plus restringitur recepto spermate quam 90  
stomachus recepto cibo.

Et quare suppositorium factum de aristolochia et melle si supponatur mulieri de qua est suspicatio quod sit pregnans, siue ueniat sapor et sit dulcis concepit masculum, siue sit amarus concepit feminam.

Et quare etiam femina impregnata masculo est boni caloris et leuis motus. 95

Et quare mulieres post partum habent pannum in facie.

Et quare mulieres prime generantes habent appetitum inrationalem.

Et quare etiam habent ita ardentem quod si denegetur eis quod querunt uel appetunt, statim aborciunt.

Quare etiam a parte uiri maior est delectatio in collo matricis, a parte 100  
mulieris intra matricem.

---

77. quod *add.*; 83. memoria *M*; 99. stantim *M*

Et quare quando cadit sperma in matrice et concipit mulier, sequitur quedam oripillatio.

Et quare strictura uulue plus ualet ad delectationem quam largiditas uulue, 105 uulua enim larga plus ualet ad generationem, sed minus ad delectationem. Sed magnitudo uirge et ad delectationem et ad generationem plus ualet quam paruitas.

Et quare in regione calida uirge sunt magne et uulue parue, in regione frigida est e contrario.

Et quare in regione calida plus moriuntur mulieres ex dolore partus quam in 110 frigida.

Ad primum istorum dicendum quod una causa est quia sperma est res amicabilior nature quam cibus in stomaco, quia sperma in propinqua dispositione est ad hoc ut fiat caro. Cibus /271ra/ autem in stomaco est in dispositione remota et quia plus diligitur a natura sperma quam cibus in stomaco, restringitur magis 115 orifficium matricis recepto spermate quam stomacos recepto cibo. Sperma enim plus uicinatur humane quam cibus in stomaco, et propter hoc maior deperditio in uno coitu quam in una flebotomia, quia in coytu euacuatur sperma quod est in propinqua dispositione ad carnem, sed in flebotomia euacuatur sanguis qui est in remota dispositione.

120 Secunda causa est quia retentiua non est nisi propter digestiuam, et quia digestiua spermatis fortior est quam cibi in stomaco, quia cibus in stomaco solum alteratur, sperma in matrice sit, dentur quod ex non animali fit animalis, et propter hec oportuit retentiuam matricis esse fortiorem quam retentiuam stomaci, et hac de causa forcius restringitur orifficium matricis recepto spermate quam stomacus 125 recepto cibo.

Tertia causa est quia matrix est maioris sensus quam stomacus, unde dicit Galenus in libro *Interiorum* quod quidam putauerunt ad iuuatium, sicut animalis, et quia melioris sensus est quam stomacus, melius sit retinere quod debet retinere

---

126. quia *lituratum*; matris *M*

stomachus, et propter hoc cicius claudit suum orifficium spermate recepto quam stomachus cibo recepto. 130

Ad secundum dicendum quod sapor suppositorii, si non ueniat ad os mulieris, signum est quod uirtus est ita quod nihil potest resolvere de illis medicinis, aut quia uie sunt opillate ita quod sapor non potest penetrare ad os et utrumque istorum impedit conceptionem.

Si autem aliquid resoluatur et uenit sapor ad os cum medicina, ratione mellis sit dulcis sapor, ratione aristolochie amarus, aut ergo sapor in hore est dulcis aut amarus. Si dulcis, signum est quod uirtus est ita fortis quod saporem conuenientem portat ad os, scilicet saporem dulcem, et saporem horribilem nature reppellit et consummit, scilicet amarum, et quia fortis uirtus generat masculos, sicut dicit Haly, signum est quod concepit masculum. Si autem sapor amarus ueniat ad os, signum est quod uirtus non est ita fortis quod saporem horribilem possit expellere et consummere et quia dicit Haly quod debilis uirtus generat feminas, signum est quod concepit feminam. 135 140

Tertium dicendum quod uirtus fortis generat masculos, sicut dicit Haly, et quia ex forti uirtute uenit bonus color et leuitas in motu. Mulier que concepit masculum est boni coloris et leuis motus. 145

Ad quartum dicendum quod in partu retinentur menstrua, et propter hoc fumi mellancollici eleuantur ad faciem quod est membrum ualde mundum et quia mundum reccipit impressiones, propter hec prius et plus apparet pannus in facie quam in alio membro. 150

Ad quintum dicendum quod humiditates que solebant fluere cum menstruis in tempore partus retinentur et habundantur in hore stomachi, et quia, sicut dicit Haly, distrasia naturalis appetit sibi similia, si habundet humor flegmaticus, appetunt albam ut cretam et huiusmodi. Si melancolicus, appetit nigra ut carbones et huiusmodi. 155

---

138. horibilem *M*

140. -culos *expunctuatum*; 142. horibilem *M*



Ad sextum quod in partu retinentur menstrua, et propter hoc multum habundat melancolia in hore stomaci, et quia melancolia confortat appetitum, habent appetitum ualde ardentem.

160 Secunda causa est quia mulier pregnans appetit propter duo corpora, scilicet propter se et propter puerum, et propter hoc habet appetitum ualde ardentem. Et quia habet appetitum ita intensum, si denegetur ei illud quod appetit, desperat natura et dimitit regimen suum in utero et redditur odiosum nature et intendit natura ipsum expellere et tunc rumpuntur ligamenta et fit aborsus.

165 Ad septimum dicendum quod illud quod mediante uirga infunditur in generatione, uenit ab extrinseco, et propter hoc in collo exteriori est delectatio uirge. Sed illud quod uenit a matrice, ab interiori uenit, et propter hoc in interiori uulue est delectatio a parte mulieris.

Propterea dicit philosophus delectatio multum confert ad generationem, et propter hoc in loco ubi est generatio, debet esse delectatio, sed in interiori uulue est 170 generatio ubi est mistio duorum spermatum, et propter hoc in interiori est delectatio a parte femine.

Ad octauum dicendum quod sperma cadit in matrice subito, et quia iste motus est subitus et inconsuetus, et est in principio quasi contrarium et generat quamdam oripillationem per unam.

175 Ad nonum dicendum quod uentositatis eleuans uirgam armat ad coytum. Delectatio autem in coytu, sicut dicit Auicenna, est per confricationem et unionem conuenientis cum conuenienti. Et quia quando uirga est magis et uulua est stricta /271rb/ maior est unio, et propter hoc maior est delectatio quam si uulua esset lata. Sed de generatione est e contrario, quia ad generationem requiritur quod uirga cum 180 spermate tingat orificium matricis interius et, quia melius est, fit quando uirga est magna et uulua lata, et propter hoc uulua lata utilior est ad generationem, minus

---

175. uirga *M*

181. la- *expuncnatum*

utilis ad delectationem, de uulua stricta est e contrario, sed semper requiritur magnitudo uirge.

Ad decimum dicendum quod in coytu requiritur uentositas erigens uirgam, et quia calidi et sicci est resoluere, in regione calida multum extenduntur uirge et 185 eleuantur et fiunt magne, in regione frigida est e contrario. Sed uulua est concaua, et propter hoc quanto materia est magis obediens extenssioni, magis augmentatur uulua, et propter hoc in regione frigida et humida, in qua multum habundat humidum quod est obediens extenssioni, et mouet a centro ad circumferentiam, sunt uulue magne et late, in calida est e contrario. Contrario autem modo est de 190 uirga, sicut uisum est.

Per hoc patet solutio.

Ad undecimum quod enim ad exitum fetus requiritur uia larga, et uulue plus sunt late in regione frigida quam in calida, cicius ex dolore partus moriuntur femine in regione calida quam in frigida quia habent uuluas magis strictas et hac de causa 195 maiorem dolorem habent mulieres in principio de primo puero quam de aliis et etiam quia non sunt consuete.

4. Iusta hoc queritur quare lentigens plus apparet in estate quam in hyeme.

Et quare post fluxum menstruorum femina est habilior ad conceptionem.

Et quare urina athomosa habens nebulam in superficie est signum 200 conceptionis.

Et quare mamille in tempore generationis crescunt et est lac in mamillis.

Et quare in iuuenibus mamille sunt eleuate et recte sed in uetulis sunt demisse et pendent.

Et quare si mamile gracilantur, signum est abcesus, sicut dicit Ypocrates. 205

Ad primum istorum dicendum quod estas trahit humores ab interioribus ad exteriora et quando sanguis grossus trahitur ad superficiem cutis ibi desicatur actione caloris et sic in estate generantur lentigens.

---

187. magis *add.*

196. quando *expunctuatum*; 197. non *add.*

207. curis *M*

Ad secundum dicendum quod uacuum magis trahit quam plenum, quia ergo  
210 matrix est uacua, melius trahit sperma et cicius fit conceptio.

Propterea humiditates ille si essent presentes, impedirent conceptionem  
suffocandam sperma.

Ad tertium dicendum quod in conceptione retinentur menstrua propter  
nutrimentum fetus, et propter hoc, quia corpus est repletum humoribus, est fluxus  
215 eorum humorum per corpus. Et quia urina athomosa adtestatur fluxui, unde signat  
arteticam, propter hoc urina athomosa signat conceptionem. Vnde †Egidius†,  
liuiditas athomosa malum probat articulare, et debet esse nebula in superficiei  
propter grossos humores existentes in corpore, ex quibus resoluitur portio  
obnubilans urinam in superficiei.

220 Ad quartum dicendum quod in tempore generationis retinentur menstrua et  
fluunt ad mamillas et inde fit lac ut ex eo nutriatur fetus extra uterum et per hanc  
uiam mamille augmentantur.

Ad quintum dicendum quod in iuuenibus est fortis calor, et propter hoc  
tenent mamillas eleuatas et rectas, sed in uetulis est debilis calor, et ideo cadunt  
225 mamille et sunt submisae et pendentes.

Secunda causa est quia in iuuentibus sunt plene et propter hoc stant recte,  
sed in senibus sunt uacuae et propter hoc iacent submisae et pendentes.

Ad sextum dicendum quod mamille duplici de causa aggregantur: aut  
quia subtrahitur menstruum ex quo debet lac generari, aut quia uirtus digestiua est  
230 debilis, quod non potest lac debito modo digerere et ingrossare. Primum est causa  
aborsus, quia ex quo paruum est de nutrimento in matrice, fetus redditur nature  
odiosus, quia non habet, unde nutriat ipsum et expellit ipsum natura ante tempus  
debitum, et tunc fit aborsus. Secundus similiter causat aborsum, quia ex quo uirtus  
est ita debilis quod non potest perfecte digerere lac, signum est quod non poterit

---

216. conceptione *M*

226. hoc *mg.*

fetum regere usque ad debitum tempus, sed fiet aborsus. Et propter hoc 235  
aggrecciliatio mamillarum est signum aborsus.

Adhuc restant tria querenda.

Primum est de figuratione fetus in utero quod cicius figuratur utrum  
mascullus uel femina.

Secundum est de quantitate fetus in sua prima figuratione. 240

Tertium est de quibusdam particularibus dictis in litera.

5. Circa primum, sicut dicit philosophus, quod si natum fuerit /271ua/  
femina, erit impregnatio in triginta diebus, si autem mas in quadraginta, ergo cicius  
figuratur in utero femina quam mas.

Propterea dicit philosophus quod quanto res est nobilior tanto tardius 245  
habetur, cum nobilior sit mas quam femina, tardius figuratur in utero mas quam  
femina.

Propterea dicit philosophus in libro *Metheorum* et in *De generatione* quod  
humidum licet sit male terminabile termino proprio, est tamen bene terminabile  
termino alieno humidum ergo de se bene est terminale et figurabile. Sed humidum, 250  
sed plus habundat in femina quam in mare, ergo cicius figuratur in utero femina  
quam mas.

Contra dicit philosophus quod si in tricessima die cadat in terram materia  
fetus, nulla apparet figura. Sed si conceptum sit masculus et cadat in aqua, apparet  
figura magna. Si femina, nulla apparet figura, ergo prius figuratur mas quam 255  
femina.

Propterea fortis uirtus generat masculos, sicut dicit Haly, ergo cum fortis  
motor uelocius moueat quam debilis, cicius figuratur mas quam femina.

Quod concedo.

Iusta hoc queritur de controuersia philosophi ad medicum et ad se ipsum. 260  
Dicit enim Auicenna quod mas cicius figuratur quam femina. Hoc autem uult

---

237. de nono *lituratum*

250. humidum plus habundat in femina *expunctuatum*; humidum ergo de se bene terminale *mg*.

255. magne *M*

philosophus in uno loco. Alibi dicit quod si natum fuerit femina, erit impregnatio in triginta diebus, si mas in quadraginta.

Ad primum autem argumentum dicendum quod hec propositio uno modo, sicut exponitur. Si natum fuerit femina, erit impregnatio in triginta diebus, id est, ad  
265 cicius incoat figuratio femine in triginta diebus, si mas, in quadraginta, id est terminus figurationis in mare ad tardius est in quadraginta diebus. Sed terminus mulieris bene potest duci ad quinquaginta. Vnde comparat hoc initium figurationis in femina ad terminum figurationis in mare, et sic patet quod non uult dicere  
270 philosophus quod femina cicius figuratur quam mas.

Per hoc patet solutio ad controuersiam et ad primum argumentum.

Alio autem modo exponitur sic: si natum fuerit femina, erit impregnatio in triginta diebus, id est tumor manifestus in uentre, si mas in quadraginta. Licet enim secundum uerum prius figuretur mas quam femina, tamen tumor in uentre cicius  
275 apparet in concepto femina quam masculo, quia cum femina concepta plures habundant humiditates et superfluitates in utero que faciunt in tumore quam cum masculo. Et ista autem secunda expositio soluit et controuersiam et primum argumentum.

Ad secundum dicendum quod quanto res est nobilior tanto tardius habetur  
280 uerum ceteris conditionibus manentibus eisdem, sed sic non est impropositio, nam in masculo est fortis uirtus et materia obediens, in femina autem deficit utrumque.

Ad tertium dicendum quod quoddam est humidum quod cito figuratur, sed non tenet figuram sicut aqua, et tale humidum natura confert ad generationem. Aliud autem est humidum quod cito reccipit impressionem, et bene humidum est  
285 habile ad generationem, et tale humidum est maris respectu femine in utero.

6. Circa secundum sic dicit Galenus in libro *De generatione* quod inassibilia debent esse equalia in substantia et uirtute. Si enim unum esset forcius, conuerteretur reliquum et non fieret mistio sed generatio, ut si poneretur † gutta uini

---

271. controuersia *M*

280. est *expunctuatum*; 286. circa *mg.*

287. debentur *M*

in seccanam†, non esset mistio sed generatio, quia uinum spoliaretur sua specie et fieret aqua, ergo cum in figuratione sit mistio spermatis, cum menstruo debent esse equalia, sed sperma cum mistio replet totam matricem, ergo sperma per se diminuet matricem, ergo prima figuratio spermatis maior est quam formica uel uermis uel aranea. 290

Propterea que est comparatio completi ad completum, eadem est comparatio incompleti ad incompletum uel uermem uel araneam. Sed homo completus in magis quantitate excedit formicam completam uel uermem uel araneam, ergo homo incompletus quando figutatur in utero, excedit et uermiculum et formicam. 295

Propterea dicit philosophus quod simile est de albumine et uitello in ouantibus et spermate et menstruo in generantibus. Sed albumen in generatione oui uel est equale uitello uel excedit, ergo similiter sperma respectu menstrui et sic reddiit idem quod prius. 300

Propterea nos uidimus extra uterum maior est illud quod nutritur quam illud quod nutrit. Vniuersum maior quam nutrimentum meum, ergo cum ex menstruo nutriatur et augmentetur sperma, maior erit sperma in quantitate quam menstruum quare et cetera. 305

Contra dicit philosophus, medicus et Macrobius. Nam philosophus dicit quod si in triginta diebus caddat in aqua, apparet in quantitate formice. Medicus dicit quod in secundo mense, est in quantitate uermiculi longi et rotundi aranee parue.

Propterea dicit philosophus quod eius Macrobius autem dicit quod in principio fetus est in quantitate aranee. 310

Propterea dicit philosophus quod eius quod nutritur et augetur quibus pars nutritur et auget, ergo quelibet /271ub/ pars minima ipsius spermatis augetur, non minima in potentia, quia partes minime in potentia sunt infinite, omne enim continuum diuisibile in infinitum, ergo partes minime in actu. Ergo si pars menstrui augeat partem spermatis, cum minimo nihil sit minus, oportet quod augeat in duplo 315

---

295. aranea *M*; 298. abhumine *M*

est de menstruo quam de spermate, ergo in minima quantitate est sperma in sua prima figuratione.

Propterea dicit philosophus in libro *Elementorum* quod principio parua sunt  
320 in quantitate, sed magna uel maxima in uirtute, ergo cum sperma sit maximum in uirtute respectu menstrui, est minimum in quantitate, ergo in sua prima generatione est in quantitate formice uel uermis uel aranee.

Propterea dicit philosophus quod aliquando in uno coytu generantur gemelli, ergo cum pauca materia emitatur in uno coytu, ex minima materie portione  
325 generatur unus fetus, ergo erit in quantitate minimi animalis probo minoris.

Dicit philosophus quod non est generatio nisi adsit delectatio, sed ad delectationem sufficiunt due gute uel tres spermatis sicut in quantitate formice uel uermis uel aranee.

Quod concedo.

330 Ad primum in contrarium dicendum quod miscibilia debent esse equalia in propria uirtute non in materia. Nam cibus de bono uino resteret uel resisteret multe aque sed pauca conuerteret multum de uino debili. Similiter dico quod paucum sperma in quantitate equale est multo menstruo in uirtute uel dicamus quia etiam est simile. Nam ex miscibilibus non est generatio, sed ex spermate et menstruo fit  
335 generatio.

Ad secundum dicendum quod non est simile, nam homo completus est ex menstruo sanguine, et propter hoc multum excedit in quantitate animalia parua. Sed homo incompletus in sua prima generatione est ex spermate et quia sperma est paucum, est minimum in quantitate.

340 Ad tertium dicendum quod tu operas non debito modo, et hoc est quod tu operas ouum perfectum ad fetum imperfectum. Sed si compares recte sicut ouum perfectum est in magna quantitate, unde uiginti oua non tenent quantitatem nucis,

---

322. quantitatem *M*

similiter sperma in sua prima figuratione est in quantitate parui animalis ut formice, uermis uel aranee.

Vel aliter dicamus quod non simile de spermate et albumine. Nam totum albumen in ouo completo non est ex spermate sed est ibi aliquid de menstruo probato. Nam ouum in principio minime quantitatis est respectu oui completi quod ergo ita augeatur albumen, quodam modo fit albumen maius per se quam totum ouum. In principio manifestum est quod hoc non potest esse nisi per admistione menstrui cum albumine. 345 350

Ad quartum dicendum quod non est simile de nutrimento intra et extra. Nam nutrimentum extra nutrit ad tempus sicut hodie unum nutrimentum extra et cras aliud, et propter hoc est minus illud quod augmentat. Sed menstruum quod est nutrimentum intra, est nutrimentum continuum et propter hoc est maius in quantitate quam sperma quod augmentatur et sic patet quod in prima figuratione fetus est in quantitate formice, uermis uel aranee. Sed aliquando quando est habundantia spermatis, secundum medicos potest peruenire usque ad quantitatem nucis. 355

Ad illud argumentum eius quod nutritur quelibet pars nutritur respondendum est, quia est sophisticum licet concludat ueritatem, per hoc enim posset probari quod semper nutrimentum augmentat in duplo, sed tamen pars nutrimenti non est tanta sicut pars que nutritur. Et si obicias quod minimo nihil est minus, unde est in eodem genere, sed minimum unius miscibilis bene potest minus minimo alterius miscibilis, ut si misceatur due partes aque cum tertia uini, cum uno miscibilium secundum minima quia in omni mistione minima aque materia est unio minimi unius cum minimo alterius. Sed tamen in hac mistione minima aque materia est in quantitate quam minima uini, similiter dico in proportione. 360 365

---

343. generatione *expunctuatum*; 347. probatio *M*

349. admistionem *M*

367. sunt *M*; est *add.*; proportio *M*



Et notandum quod ad illud argumentum primum probetis quanto res est nobilior tanto tardius habetur.

370 Solutio est quod hoc tenet in rebus que sunt a uirtutibus differentibus in specie ut plura relinquuntur adesse hominis quam asini, quia homo nobilior est quam asinus et sunt a uirtutibus differentibus specie. Sed eadem uirtus in specie generat masculum et feminam, et propter hoc, quia ista uirtus fortior est in masculo quam in femina, cicius figuratur mas quam femina.

375 Iusta hec queritur cum omne generatum reddeat ad illud unde exiuit, quare homo numquam ita minoratur quod reddeat ad quantitatem formice cum a parte anime redeat ad mores pueriles in decrepita etate.

Quare etiam de comparatione figurationis ad motum et motus ad partum.

380 Postea queritur de morbis hereditariis, ut calculus et lepra sunt morbi hereditarii. Hii enim sunt ex hiis uel ex eis que exhereditantur sicut dicit Auicenna.

Et quare leprosus peccat in substantia in generando et non secundum sexum, generat enim semper leprosus sed aliquando generat masculum aliquando feminam, sicut alii homines.

/272ra/ Et quare etiam infectio substantie inficit filium, sed uitium in patre a parte 385 anime non facit uitium in filio.

Et quare ciragricus non generat ciragricum, sicut podagricus podagricum.

Et quare loripes non generat loripedem. Et arguo sic maius est uitium quando aufertur pes ex toto quam quando est uitium in pede, ergo si podagricus generat podagricum, forciori ratione loripes loripedem.

390 Ad primum istorum dicendum quod sicut dicunt Galenus et philosophus, animalia semper nutriuntur, non tamen semper augmentantur, et quia semper restauratur deperditum in homine, non potest reddere ad quantitatem in qua exiuit inesse, sed quantum ad mores reddiit ad ipsum statum propter inobedientiam organorum. Sicut enim pueri, humiditatem, obtundentem calorem et debilitatem

---

368. illiud *M*; probetis *M*; quantato *M*

373. femina *M*; 376. et quare *lituratum et expunctuatum*

379. et *add.*; 390. et *add.*

organorum uiuiunt quasi uita bestiali, similiter senes deperditi, quia multum 395  
habundant in humiditatibus et organa eorum sunt ualde debilitata, unde mingunt in  
lecto sicut pueri.

Ad secundum dicendum quod motus duplicat ad figurationem, partus  
duplicat ad motum, unde uersus effigiem motus duplicat et partus triplicat illum.

Ad tertium dicendum quod est lepra peccatum in carne, unde ibi deficit 400  
asimilatiua, et propter hoc cum sperma sit ex superfluo nutrimento, sperma leprosi  
est infectum, et propter hanc uiam generat leprosus leprosum.

De calculo autem dicendum quod lapis nutritur in corpore sicut membrum  
corporis. Dico ergo quod in calculoso in hora coytus transsit sperma per locum  
calculi et seccum trahit aliquas superfluitates illius nutrimenti, unde nutritur lapis et 405  
inde inficitur sperma et ideo generat calculosum.

In podagrico autem est peccatum in substantia pedis, nutrimentum est ibi  
corruptum, et quia uirtus debilior est in pede quam in aliis membris, quia magis  
remouetur, minus potest corrigere suum defectum uirtutis in pede quam in manu uel  
in alio membro. Vnde prius moriuntur pedes et in frigidantur quam alia membra, 410  
propter hoc infectio pedis magis facit infectionem in generato quam in manu uel  
alio membro.

Secunda causa quia pedes supponuntur omnibus aliis membris, et propter  
hoc quia ¶renatissimus multus est ad pedes¶, podagra est difficilioris cause quam  
ciragra, et propter hoc podagricus generat podagricum et non ciragricus ciragricum. 415

Ad illud quod obicitur dicendum quod uirtus totius corporis magis est  
potens in generationem pedis quam uirtus debilis in podagrico pedis. Si potens  
corrigere errorem suum, et propter hoc loripes generat loripedem habentem duos  
pedes, et podagricus semper generat podagricum.

---

398. tertium *M*; secundum *add.*; 400. quartum *M*; tertium *add.*

407 unde *expunctuatum*; 415. podagricum *add.*

418. corrigere *M*

420 Sic ergo patet quare isti morbi sunt hereditarii, quia materia febris est humor, et propter hoc non potest inficere sperma, quia materia immediata spermatis est humiditas et non humor.

Et si tu obicias quod in ethica est peccatum in membris solidis, dico quod in ethica non est peccatum in materia sed solum in uirtute et in complexionem, que  
425 nimio calore consciunt humiditates radicales. Et quantumcumque consummat, si tamen remaneat in corpore, unde possit sperma generari, illud sperma non est infectum, sed generatur sanus homo.

Ad aliud dicendum quod generatio sequitur substantiam, unde ex spermate quod est substantia, generatur fetus, et quia substantia in leproso est corrupta, ideo  
430 generatur fetus corruptus. Sed generatio masculi uel femine sequitur uirtutem et complexionem, unde fortis uirtus generat masculos et debilis feminas sicut dicit Haly. Et propter hoc complexio <...> bona re maneat in testiculis leprosi potest generare masculum et feminam, sed tamen generat fetum leprosum, unde mulieres plus delectantur in coitu leprosi quam alterius.

435 Ad aliud dicendum quod substantia infecta in patre inficit substantiam in filio, sed uicium se non facit uicium in filio, quia pater non dat animam sed uenit ab extrinseco sicut dicit philosophus, propter hoc non oportet quod filius asimiletur patri in moribus anime.

---

429. corrupta *M*; 430. corruptus

## LIBER XI

### Questio prima

#### *In omni oppositione nobili et uili et cetera.*

Circa undecimum restant quedam querenda.

1. Primum est in quo mense plus doleant pregnantes quia plus iuuantur a radice superiori in quarto mense et in septimo et nono, ergo tunc minus dolent. 5

Propterea in partu est maximus dolor, ergo quando magis aporpinquat partus tanto maiorem dolorem, ergo maior est dolor in secundo quam in primo et sic per ordinem.

Contrarium autem dicunt medici quod plus dolent in primo, quarto, septimo, et nono, unde uersus primus, post quartus, post septimus indeque nonus, quatuor hii 10 menses plus uexant parturientes.

Propterea philosophus dicit quod in quarto, septimo et nono est maior dolor, quod concedo, quia in quarto est fetus in aspectu lune, et propter hoc mouentur plus quam in tribus primis, et similiter in septimo /272rb/ et nono quando uult exire. In primo autem est dolor, quia matris est inconsueta ferre tale honus. Per hoc patet 15 solutio ad primum argumentum et secundum.

Iusta hoc queritur quare fetus siue partus in septimo siue nono mense est ad bonum, in sexto uel octauo non.

---

1. questio prima *mg.*; 2. omnibus -bus *expunctuatum*; 3. nonum *lituratum*

Et quare maior est dolor in partu mulieris quam in partu aliorum animalium.

20 Et quare mulier comedens salem generat puerum sine unguibus.

Et quare si gemini nascuntur et sint diuersi sexsus, moritur alter.

Ad primum istorum dicendum sermone primo *Metheorica*, hec uide sic Saturnus est primus inter planetas et est frigidus et siccus, unde coagulat et restringit sperma in matrice. Post sequitur Iupiter, qui est calidus et humidus et  
25 multum confert ad generationem. Post ordinem ueniunt alii planete, tandem uenit ultima luna in septimo mense et quia luna frigida est et humida, multum confortat expulsuam, et fetus sentiens iuuari a radice superiori mouet se et uult exire. Si exeat, hic est ad bonum, quia iuuatur a radice superiori, si uero exeat in octauo mense, regnat Saturnus, qui est frigidus et siccus et debilitat expulsuam, unde si  
30 tunc exeat, multum malum est, quia contra radice superiore, sed si expectaret nonum mensem, tunc regnat Iupiter, qui est calidus et humidus et confert ad principium uite et tunc partus est ad bonum.

Solutio autem naturalis est hec: in septimo mense primo est puer formatus et tunc appetit exire propter tria sicut dicit Auicenna quia plus requiritur de cibo  
35 quam habeat, quia uult inspirare et non potest, iterum quia querit locum anplioem et magis largum quam hec autem mouetur, ergo et si exeat bonum est, quia hoc est ex fortitudine uirtutis in fetu siue multum natura in matrice, et propter hoc quia in octauo mense natura est fatigata et debilitata, si exeat, morietur uel semper erit languidus et moribundus et infirmus. Sed si expectet nonum, natura iam quieta est  
40 et fortificata, et puer perfecte est completus et sicut appetit exire, sic matrix appetit expellere et sic est ad bonum.

Ad secundum dicendum quod quanto res est nobilior tanto cum maiori difficultate habetur, et propter hoc homo sicut nobilior est quolibet animali, plus laborat mulier in partu quam femine aliorum animalium.

45 Secunda causa est passibilitas substantie sue et bonitas sui sensus.

---

22. †causa quare† natus in viii mense non uiuit *mg. alia manu*

42. secundum *lituratum*; tertium *mg.*; secundum *add.*

Ad tertium dicendum quod sal est forte abstersium, et propter hoc mulier que commedat salem in magna quantitate, corodat superfluitates ex quibus dicuntur generari ungues, et nascitur fetus sine unguibus.

Ad quartum dicendum quod si sint gemini et alter sit femina, hoc est quia uirtus est debilis in illa parte, et quia uirtus est debilis satis est intenta natura circa unum illorum et oportet quod alter moriatur. Si autem anbo sint masculi, signum est fortitudinis uirtutis. Virtus potuit utrumque saluare. 50

2. Postea queritur de modo exeundi fetus quia dicit Galenus in libro *De criticis diebus* quod natura semper procedit a minoribus ad maiora et a difficilioribus ad faciliora, ergo cum exitus sit facilior quantum ad partes graciles ut quantum ad pedes et manus et huiusmodi, fetus debet exire ita quod pedes precedant caput in exitum. 55

Propterea eadem sunt principia generandi et conseruandi, sed in conseruando prius sunt pedes, nam homo est sicut radix, homo enim est arbor transuersa, sicut dicit Ysaac, ergo in partu prius pedes debent exire quam capud. 60

Contra dicit philosophus quod debet fetus exire preposito.

Propterea quando fetus est in matrice et habet capud demisum super genua, ergo in exitu oportet quod precedat capud et hoc concedo quia capud in fetu est grauior pars tocius corporis et propter hoc appetit fundum, sicut uidemus in grossiori parte oui quia pars grossior prius exit. 65

Propterea indignatio exitus prius est in capite quam alio membro, quia fetus exit propter indigenciam cibi et cibus intrat per os in corpore. Iterum fetus exit propter indigenciam aeris, unde per os et per nares inspiratur aer. Item propter structuram loci et capud grossius est quam cetera membra, et ideo propter hoc prius indiget exire capud quam cetera membra et ideo cicius exit capud. 70

---

47. corodat *M*

52. uirtutis *prima-ti- expunctuata*

55. facilioribus *M* ; difficilioribus *add.*

65. que *M*; quia *add.*

69. grossus *M*; hoc *add.*

70. plus *M* ; prius *add.*; quam cetera membra et ideo cicius exit capud *mg.*

Ad primum in contrarium dicendum quod licet sit facilius exitus pedum quam aliorum membrorum, et tamen, quia capud est ponderosius et prius indiget exitu quam alia membra, citius exit quam alia membra.

Ad aliud dicendum quod eadem sunt principia generandi et conseruandi,  
75 unde est de principiis nascentibus, sed exitus fetus ab utero est que dispositio non manens sed transitoria.

Iusta hoc queritur quare puer exit pronus et non supinus.

Et quare egerit et non mingit.

Quare etiam egestio femine est rubea, egestio autem uiri uel masculi est  
80 citrina.

Et quare fetus post exitum statim ponit manus ad hos.

Et quare etiam statim clamat.

Et quare in mulieribus et in uolatilibus fetus iacet curuus in utero, in  
serpentibus in longo, /272ua/ in quadrupedibus autem ex transuerso.

85 Et quare pueri multum dormiunt.

Quare in motus incitat sopnum in pueris et non in aliis etatibus.

Et quare cantilene in pueris et in aliis prouocant sopnum.

Ad primum istorum dicendum quod una causa est quia corpus magis  
flectitur ad anterius quam ad posterius, et propter hoc quia reflexus erat in utero  
90 exit pronus et non supinus.

Secunda causa est quia puer uiuit uita bestiali, unde primo intendit uel  
incedit super quattuor partes sicut brutum exit, et propter hoc sicut brutum exit  
pronus, similiter puer exit pronus.

Ad secundum dicendum quod, sicut dicit Auicenna, puer in utero matrix

---

73. quod *M*; quam *add.*

81. femine -mine *expunctuatum et addit* -tus

83. mulies *M*

94. sicut *add.*

sudat, unde quia urina est liquor subtilis et penetrabilis, euaporat per sudorem. Sed 95  
puer in utero non egerit, et propter hoc agregantur egestiones et quando uenit extra,  
egerit.

Ad tertium dicendum quod plus de calore et colera est in masculo quam in  
femina, et quia colera egestiones citrinat, ideo egestiones masculi sunt citrine. Sed  
in femina est debilis, remanet egestio in proprio colore, sed sanguis menstrui ex 100  
quo nutriebatur puer in utero rubea est, et propter hoc manet egestio femine rubea  
post exitum fetus.

Ad quod quam cito puer exit, indiget cibo et quia nescit querere mamillas,  
sicut fetus luporum ponit manus ad hos ad sugendum ut satisffaciat nature, uidetur  
enim sibi quod aliquid debeat sugere. 105

Secunda causa est quia puer in utero non consueuit apperire os, quia ipse  
recipiebat in utero nutrimentum per umbilicum. Sed modo ex industria nescit quod  
debet reccipere nutrimentum per hos, et propter hoc ponit manus ad hos sicut lupus  
quando uult comedere.

Ad quintum dicendum quod, sicut dicit Auicenna, puer quando quam exit, 110  
inuenit aera inconsuetum et constringit ipsum et facit dolorem, et propter hoc  
clamat.

Ad sextum dicendum quod fetus est in utero secundum dispositionem  
matricis, et propter hoc in piscibus et serpentibus matricis sunt longe, et ideo fetus  
in ipsis sunt in longo. Sed in muliere et in auibus matrix est rotunda, et propter hoc 115  
oportet quod fetus sint reflexi, quia ratione loci non possunt extendi in longum.

Causa autem quare matricis sunt rotunde in auibus et mulieribus hec est:  
quia uolatilia et mulier sunt corporis, unde in solis istis reperiuntur anche, et propter  
hoc si fetus esset in longum, cum sit ualde in principia, non posset se tenere, sed

---

96. quantato *M*

101. rubea est *add.*

104. buborum *M*; luporum *add.*

103-105. Causa quare puer statim cum nascitur ponit manus suam ad os *mg. alia manu*

106-109. Nota quod fetus cum est interior recipit nutrimentum per umbilicem *mg. alia manu*



120 apparet ratione tenuitatis sit quod rectum curetur, et quia propter fetum sunt  
matrices, non possunt esse nisi retornus, matrix non potuit esse nisi rotunda. Sed  
quadrupedibus iacet fetus ex transuerso secundum dispositionem matricis.

Ad septimum dicendum quod, sicut dicit Galenus super *Pronostica*, una de  
rebus quam intendunt pueri est commestio, et quia, sicut dicit Auicenna, sopnus est  
125 retentio caloris ad interiora ut digeratur nutriens, indigent multo sopno et multum  
dormiunt propter digestionem celebrandi.

Ad octauum dicendum quod una causa est quando erant in utero, plus erant  
in motu quam in quiete, secundum quod mouetur matrix, et propter hoc quia  
multum consueuerunt et tunc secundum quod dicit philosophus quando sunt in  
130 utero sunt in illa dispositione quod nec est sopnus neque uigilia, et propter hoc  
motus incitat sopnum in pueris et non in aliis.

Secunda causa est quia pueri multum clamant, sed motus reprimit calorem  
in ipsis et per hanc uiam inducit sopnum.

Ad nonum dicendum quod sopnus est ligatio et quies sensuum exteriorum,  
135 et quia in cantilena et in studio uel in nocte delectabili detrahitur homo ita quod  
dimitit opera exteriora, retrahitur calor ad interiora et fit sopnus et maxime in pueris  
quia per cantilenam reprimitur calor in ipsis. Iterum occinunt pueri statim post  
exitum et quia significatur in ipsis fortis uirtus uel debilis.

**3.** Iterum queritur circa undecimum primo de impedimentis generationis.

140 Secundo de generatione mole et de ouis uenti, siue de polutione mulieris.

Circa primum queritur primo utrum magis ueniat impedimentum mulieris  
ex parte mulieris uel ex parte uiri uel masculi quia quanto res est nobilior tanto plus  
requirit ad sui esse et cicius impeditur. Sed generatio uiri nobilior est quam  
mulieris, ergo plus impeditur generatio a parte uiri quam a parte femine.

---

123. unam *M*

130. illo *M*

137. occitant *M*

139. queritur *expunctuatum*; 140. causa *expunctuatum*

Propterea uir est sicut agens, sed difficilius est agere quam pati, et cicius 145  
impeditur agens quam paciens, ergo plus est impedimentum a parte masculi uiri  
quam a parte femine.

Propterea philosophus solum possuit impedimentum a parte uiri ex  
impositione ipsius cum muliere, sed multa alia sunt impedimenta a parte femine  
ergo et cetera. 150

Propterea mulier /272**ub**/ operatur in generatione in recipiendo et emitendo et  
etiam in conseruando, unde continue operatur. Sed uir solum in emitendo et ad  
tempus, ergo ex pluribus partibus potest euenire error, tantum ex parte mulieris  
quam ex parte uiri, quod concedo.

Ad aliud quod autem quod obicis dicendum quod licet generatio a parte uiri 155  
sit nobilior tamen quia uir operatur solum ad tempus et dat formam, mulier autem  
continue et dat materiam, et omnis error est a parte materie ideo plus est  
impedimentum a parte mulieris quam a parte uiri. Per hoc patet solutio ad  
secundum.

Iusta hoc queritur quare generatio facilius impeditur in homine quam in aliis 160  
animalibus.

Et quare philosophus lapsum in situ non appellat egritudinem, medicus  
autem appellat.

Quare etiam in matrice et in ano, ut plurimum, ueniunt pustule. Et quare  
spasmus est egritudo matricis. 165

Et quare in puero accidit spasmus plus de repletionem quam de inanitione.

Et quare si pueri traseant septimum diem, sicut dicit, signum est quod  
euadunt.

Et quare pueri in plenilunio plus incurrunt suas egritudines.

Et quare matrix atrahit cum uento. 170

---

164. anno *M*

167. annum *lituratum*

Queritur etiam quare per remanere membrum in suis operationibus remaneat uel dicatur membrum sanum quia dicit Auicenna quod sanitas est dispositio que reddit operationes incolumes, ergo ab operationibus cognoscitur membrum sanum.

175 Propterea dicit philosophus in libro *Phisicorum* sanitas est dispositio ad optimum, sed non est dispositio ad optimum nisi quia reddit operationes sanas ita quod homo possit facere opera uirtutis, ergo ab operationibus cognoscitur membrum sanum.

Contra si ab operationibus membrum esset sanum aliquando neutre tunc  
180 esset ponere medium inter sanum et egrum.

Contrarium dicit philosophus in *Predicamentis* quod sunt contraria immediata.

Propterea dicit autem in litera quod aliquando membrum est egrum et operationes sunt sane ut si sit pustula in oculo et non impediatur uisus ergo ab  
185 operationibus non dicitur membrum sanum.

Ad primum istorum dicendum quod quanto res est nobilior tanto difficilius habetur, et plura ad inuicem requiruntur, et propter hoc cicius impeditur generatio hominis quam aliorum.

Secunda causa est sua possibilitas et causalitas in complexione nature  
190 uniuersalis.

Ad secundum dicendum quod philosophus consciderat lapsum secundum quod impedit et per hoc consciderat egritudines matricis quia impediunt intentionem nature sed conseruare speciem, sed diuersus situs non impedit generationem nisi sit nimis magnus ille lapsus, et propter hoc philosophus hunc  
195 lapsum non uocat egritudinem. Sed medicus consciderat lapsus qui impediunt naturam particularem sicut indiuiduum, et propter hoc, quia lapsus in situ matricis impedit mulierem in propriis actionibus, uocatur egritudo apud medicum.

---

182. immediatate -te *expunctuatum*; 184. egri *expunctuatum*; custula *M*

189-190. naturam uniuersalem *M*

Ad tertium dicendum quod secundum quod uolunt auctores medicine, partes superiores nutriuntur ex subtiliori nutrimento et puriori sanguine, partes autem inferiores ex grossiori, et quia grossus sanguis et feculentus fluit ad partes inferiores, plus incurrunt pustulas partes inferiores quam superiores. 200

Ad quartum dicendum quod spasmus est contractio neruorum uersus sui originem, et quia matrix neruosa est, ideo spasmus est passio matricis.

Ad quintum dicendum secundum quod dicit Galenus, pueri solum intendunt actum comedendi et bibendi, et propter hoc multum habundant humiditatibus et hac de causa ut plurimum incurrunt spasmum de repletionem. 205

Ad sextum dicendum quod spasmus est egritudo peraccuta, et quia egritudines peraccute terminantur septima die, nam si fetus transeat septimam diem, euadit.

Ad septimum dicendum quod, sicut dicit Ysaac, crescente luna crescit omne humidum, et propter hoc in plenilunio multum habundant humiditates in pueris et fiunt spasmi et egritudines puerorum. 210

Ad octauum dicendum quod quando matrix est uacua, atrahit aerem quod est corpus ualde flexibile et mediante hoc uento uel aere uacuit spasma.

Ad nonum dicendum quod sanitas quam ad esse radicale est ex contemperantia humorum, et sic non est medium inter sanum et egrum et sic loquitur philosophus in aliis libris. Sed quam ad esse cognoscituum sanitas cognoscitur per bonitatem operationum, et sic loquitur medicus et philosophus hic, et hoc modo est medium inter sanum et egrum. 215

Ad hoc autem quod tu obicis quod potest esse membrum egrum et opera sana, dico quod oculus operatur ratione compositis et ratione pupile, unde in aliqua parte oculi potest esse pustula quod tamen non impedit compositionem /273ra/ oculi nec pupilam, unde non impeditur uisus. 220

---

213. nonum *M*; octauum *add.*; 215. decimum *M*; nonum *add.*

4. Circa secundum sic procedo. Et queritur quare ex polutione in mulieribus  
225 mola, in auibus oua uenti, in aliis autem animalibus respectu generatur ex  
polutione.

Et quare in auibus ex polutione simile generatur in specie cum eo quod  
generatur in uera generatione, ouum enim uenti est ouum sicut ouum, quod  
generatur ex coitu maris cum femina simile in specie.

230 Et quare molla non habet animam cum alteri ex superfluo concepti  
generetur animal sicut in mulieribus salernitanis generatur in utero bufo qui uocatur  
harpem.

Quare etiam mola generata ex pollutione mulieris est difficillis esse nisi  
superueniat dissinteria.

235 Et quare ex qualibet polutione in auibus generatur ouum uenti, sed ex  
qualibet polutione mulieris non generatur mola, immo raro accidit.

Et quare matrices in uetulis sunt plene et tumide, in uirginibus autem sunt  
corrugate.

240 Ad primum istorum dicendum quod homo plus habundat in spermate quam  
alia animalia, unde mulier plus habet de calido et humido quam femine aliorum  
animalium, et propter hoc plus emitit de materia in polutione quam femine aliorum.

Propterea plus recordatur delectationis preterite quam cetera animalia, et  
propter hoc magis appetit et plus poluit et hac de causa generatur mola ex polutione  
mulieris, non sic autem est in aliis animalibus.

245 In auibus autem est specialis causa quia habent matricem prope cor, et  
propter hoc mediante calore cordis plus generatur aliquod ex polutione in auibus,  
scilicet ouum uenti, quam in aliis animalibus, et maxime in auibus que sunt calide  
et humide sicut anseribus et galinis.

---

233. malla *M*; mola *add.*

238. corugate *M*

242. peterite *M*; 244. proprie *M*

246. generantur *M*

Ad secundum dicendum quod aues non generant fetum complete in utero  
sed materiam fetus, scilicet ouum, et propter hoc, quia incomplete generabant et id 250  
quod ex pollutione generatur, est incompletum. Simile fuit in specie quod generatur  
ex pollutione et ex coitu uero. Sed homo generat fetum completum et, quia quod  
generatur ex pollutione, est incompletum et non potuit esse simile in specie ei quod  
generatur in coitu.

Ad tertium dicendum quod sicut dicturus est philosophus, uir dicit animam 255  
in generatione fetus et femina dat materiam, unde sicut se habet uir ad fetum sicut  
artifex ad scamnum quia ergo uir dat animam, ex materia pollutionis non potest  
generari animal, sed quando ex utroque spermate generatur et superhabundat  
materia uenosa, uirtus decissa a generante operatur in illa materia, et quia illa  
materia non est ab illis ad hoc quod conuertatur in fetum, facit quod potest et 260  
generat inde animale quod dicitur harpem.

Ad quartum dicendum quod mola est caro calida et humida, unde est similis  
matrici nec infestat matricem quia non mouetur, et propter hoc matrix per  
consuefactionem retinet molam et nititur expellere ex quo et quia natura est  
omnium operationis et medicus minister, ex quo matrix non expellit, difficilimum 265  
est expellere nisi superueniat dissinteria, quia in dissinteria ut plurimum est tenas  
modo et propter hoc quod cum exprimit se fortiter mulier et conatur generare,  
aliquando exit mollam.

Ad quintum dicendum quod gallina emitit sperma inter matricem que ualde  
est profunda quia est prope cor, et propter hoc ex qualibet pollutione generatur 270  
ouum. Sed mulier in eodem loco emitit suum sperma in quo facit uir suum, scilicet  
in collo matricis, et propter hoc egreditur sperma extra matricem uel in collo quod  
est anterius, et raro generatur mola.

Ad sextum dicendum quod mulieres sunt asuete in hoc opere et quia opera  
propria magnificat membrum, sicut dicit Haly, fluunt calor et spiritus ad locum et 275

---

249. decimum *M*; secundum *add.*

255. dat *M*; dicit *add.*

259. uentosa *M*; 261. herpem *M*

redditur matrix tumida et lenis siue plana. Sed in uirginibus sunt corrugate quia non extenduntur per coitum nec fluunt calor et spiritus ad locum sicut in mulieribus corruptis.

---

276. corugate *M*; 278. corruptis *M*

## LIBER XII

**Quidam habent principium huius XII libri hic.**  
*Iam declarauimus superius et cetera.*

### Questio prima

*Et quid homines accipiunt rem parem et cetera.*

Circa librum duodecimum queritur primo utrum iste duplex procedendi 5  
modus, scilicet narratiuus et causarum assignatiuus sit in qualibet scientia.

Secundo quis istorum sit magis necessarius.

Tertium utrum ista scientia sit ordinaria.

1. Circa primum sic queritur scribitur in libro *Posteriorum* quod demonstratio  
est similis faciens scire, ergo cum omnis scientia facit scire, omnis scientia est 10  
demonstratiua et etiam causarum assignatiua.

Propterea scire est per causam, /273rb/ ergo omnis scientia est causarum  
assignatiua.

Contra dicit autem in littera quod duplex est modus procedendi in scientiis:  
unus narratiuus et alius causarum assignatiuus. 15

---

1-2. quidam habent principium huius XII libri hic. Iam declarauimus superius et cetera *in inferiori margine alia manu*; 3. questio prima *mg.*



Propterea dicit philosophus quod a parte dicentis requiritur modus narratiuus, a parte audientis causarum assignatiuus, nam audientis, sicut dicit philosophus, debet considerare utrum magister uerum dicat aut non, et hoc per causas, sed in omni scientia est doctor et discipulus, ergo in omni scientia est iste  
20 duplex modus procedendi, quod concedo, in omni scientia argumentatiua ad aliqua sua principia est iste duplex modus procedendi.

Ad primum argumentum dicendum quod scire quidem est scire per causas et hic est effectus demonstrationis, et hoc scire non est in qualibet scientia, sed in demonstratiuis scientiis, est aliud scire per signum ut per effectum uel ex  
25 suppositione sicut in qualibet scientia debemus habere aliquas precognitiones, et sic largo modo summendo scire omnis scientia facit scire. Per hoc patet solutio ad secundum argumentum.

**2.** Circa secundum sic propter quod unumquodque est tale, sed ipsum tale. Sed propter hoc principia sunt quecumque sunt in scientia, ergo cum principia per  
30 se narrantur sine causa, modus narratiuus magis est necessarius quam causarum assignatiuus.

Propterea simile est de parte et de toto, sicut dicit philosophus in principio huius libri. Sed in scientia que est habitus unius concluxionis, propositiones que narrantur, sunt magis necessarie quam concluxio que probatur, ergo similiter et in  
35 scientia tota magis est necessarius et narratiuus modus quam causarum assignatiuus.

Causarum assignatiuus procedit per causas, sed causa nobilior est causato, ergo magis est necessarius modus causarum assignatiuus quam narratiuus.

Quod concedo simpliciter loquendo.

40 Ad obiecta autem contrarium dicendum quod quidam est modus narratiuus qui procedit ex principiis et dignitatibus, et hic est magis necessarius quam

---

16. repequiritur -pe- *expunctuatum*; 19. dorctor -r- *expunctuata*; dissipullus *M*

29. hoc *add.*

33. in *add.*

38. quam *M*

40. quam *M*; quod *add.*

causarum assignatiuus. Alius est modus narratiuus quasi ystorialis, in quo narrantur multe res que non sunt principia nec dignitates, et de isto loquendo magis est neccessarius modus causarum assignatiuus quam narratiuus, et hic appellatur narratiuus simpliciter loquendo. 45

Iusta hoc queritur quare modus causarum assignatiuus plus est in arte quam in scientia.

Et quare plus in quadruuio quam in triuio.

Et quare iste duplex modus procedendi distinctus est in hoc libro. In libro autem *De anima* est indistinctus, quia ibi modo procedit narrando, modo probando siue causas assignando. 50

Ad primum istorum dicendum quod ars est scientia propriis principiis artata, sed scientia appellatur illa que est confusa nec est artata ad propria principia sicut medicina, theologia, ius canonicum et ciuile. Iste enim scientie semper possunt augmentari et quia modus causarum assignatiuus procedit propriis principiis, iste scientie que non habent propria principia non habent modum causarum assignatiuum sed solum narratiuum. 55

Secunda causa est quod in illis scientiis multa narrantur et continue augmentantur, unde si redderent causam de qualibet scientie ille essent quasi pellagus et nimis confuse. 60

Ad secundum dicendum quod quadriuium certior est scientia quam triuium, nam triuium est de sermone. Sermo autem est effectus ration, et propter hoc triuium non habet certa principia sicut quadruuium, et propter hoc iste dicendum modus procedendi magis est distinctus in quadruuio quam in triuio.

Ad tertium dicendum quod sicut dicit in litera, multe sunt proprietates communes pluribus animalibus, unde ut de qualibet reddere causam oporteret bis idem repetere et propter hoc procedit distincte ita quod primo procedit proprietates 65

---

53-55. Nota differentiam inter artem et scientiam *mg. alia manu*

53. conuersa -uersa- *expunctuatum et addit* -fusa

58. que *M*; quod *add.*

narrando, secundo ut a duodecimo et supra siue post reddit causas communes illarum proprietatum.

70           Secunda causa est quia si iusta qualibet proprietate poneret suam causam nimis esset longa ista scientia, sed sufficit quod primo ponat proprietates narrando, secundo assignet causas omnes in libro proprietatum illarum. Sed in libro *De anima* determinatur de anima, sed diuersas eius potencias et quia diuersis potenciis insunt diuerse proprietates, oportuit quod, narrata proprietate, statim redderet causam, et  
75 propter hoc ibi processit distincte, hoc autem distincte dicta de causa.

Circa tertium sic: omnis scientia ordinaria primo ponit quod intendit per modum narrationis, deinde reddit causam. Hunc procesum habet ista scientia, ergo ista scientia est ordinaria.

Propterea ista scientia ordinate procedit a causa dicta effectum, ergo ista  
80 scientia est ordinaria.

Contra dicit Galenus quod omnis scientia ordinaria aut est resolutiua aut compositiua aut diffinitiua. Sed hec non est resolutiua, quia non resoluit effectum in causam continue usque ad ultimam causam, nec diffinitiua quia non dat diffinitionem ut ex partibus diffinitionis procedat per totum librum, nec  
85 compositiua, quia non incipit a primis compositionibus usque ad ultimam, ergo non est scientia ordinaria.

Ad hoc dicendum quod scientia uno modo dicitur ordinaria quia ordinate procedit in narrando et sic omnis scientia est ordinaria.

Alio autem modo dicitur scientia ordinaria, que /273ua/ primo per modum  
90 narrationis procedit deinde reddit causam narratam, et sic ista scientia est ordinaria et omnis scientia que procedit per causas.

Alio autem modo dicitur scientia ordinaria que incipit a compositionibus primis usque ad ultimam et hec est compositiua et hunc habet Iohanitius. Incipit enim ab elementis usque ad hominem et sic est modus compositiuus ut ex elementis

---

70. proprietatem *M*

82. composita *M*; 83. deffinita *M*

90. causarum narratarum *M*

procedat ad terre nascentia, ex terre nascentibus ad humores, ex humoribus ad 95  
membra consimilia, ex consimilibus ad officialia et ex hiis constituatur corpus  
humanum. Contrario autem modo procedit ut scientia resolutiua autem procedit ut  
primo det deffinitionem, secundo de partibus diffinitionis prosequatur ordinem per  
totam scientiam. Hunc modum tenet Galenus in *Tegni*, primo enim ponit istam  
diffinitionem: medicina est scientia sanorum, egrorum, neutrorum, deinde de sano, 100  
egro et neutro in causa corpore et signo procedit per totum librum, sic loquendo de  
doctrina ordinaria, nec iste liber nec aliquis librorum est ordinarius.

Et si tu obicias quod scientia posteriorum est resolutiua.

Dico quod non est talis resolutio de qua loquitur Galenus, nam scientia  
resolutiua secundum Galenum resoluit continue usque ad ultimum ut si resoluamus 105  
corpus usque ad membra officialia, officialia usque ad consimilia, consimilia in  
humores, humores in terre nascentia, terre nascentia in mista, mista in elementa.  
Hoc modo non dicitur resolutiua scientia priorum et posteriorum, sed quia resoluit  
effectum in causam proximam et immediatam.

Habito de modo procedendi. 110

Adhuc circa XII restant tria querenda.

Primum de causis.

Secundum est de diuisionibus.

Tertium de modo demonstratiuo cognoscendi.

Circa primum primo queritur quam causam debet philosophus reddere 115  
principalem.

Secundo autem de ordine in causis.

Tertium de numero.

**3.** Circa primum, sicut dicit philosophus in libro *De anima*, differenter  
diffiniunt, phisicus principaliter reddit materiam. 120

---

106. consimilia *add.*

Propterea natura est principium transmutationis per se et quietis per actiuas, unde omnes res naturales sunt transmutabiles, sed materia est principium transmutationis, habet enim appetitum contrariarum formarum ita quod cum est sub hac forma appetit esse sub alia, ergo phisicus principaliter debet reddere materiam.

125 Propterea natura est principium mobilitatis in eo in quo est, sed omnis mobilitas est a parte materie, ergo phisicus debet reddere materiam.

Contrarium autem probat philosophus in litera quod naturas rerum nobilius cognoscimus per formam quam per materiam, ergo phisicus debet reddere formam et non materiam.

130 Propterea perfectio animalis, in quantum animal est, est anima sensitiua, ergo in isto libro in quo tractat de naturis animalium, principaliter debet reddere animam sensitiuam, sed anima sensitiua est forma, ergo principaliter debet reddere formam.

Ad hoc dicendum quod quidam est phisicus generalis qui considerat materiam et non descendit specialiter ad aliquam rem nature, sicut est philosophus 135 in libro *Phisicorum*, et ille principaliter considerat materiam. Et est quidam phisicus particularis qui considerat specialiter aliquas res nature ut in hoc libro solum tractat de animali, et iste principaliter reddit formam in relatione ad materiam et si non potest, reddit finem.

140 Ad primum argumentum dicendum quod illa propositio sic est intelligenda: †loycus† reddit formam sine materia, sed phisicus reddit formam in relatione ad materiam.

Ad secundum dicendum quod materia est principium transmutationis. Verum est materia prima et hanc non reddit in hoc libro, uel dicamus quod quidam 145 est motus, transmutatio in generando rem, et iste motus causatur a materia propter inclinationem ad formas diuersas, et est quidam illius motus in rebus qui sequitur

---

122. principi *expunctuatum*

134. quod *add.*

res generatas, et iste motus est a parte forme, et de tali transmutatione et motu loquitur.

Per hoc patet solutio ad tertium. Phisicus enim principaliter reddit formam et hoc probat hac ratione: eadem sunt principia essendi et cognoscendi. Sed per formam habet res principaliter esse, ergo per formam habet principaliter agnosci, ergo philosophus debet reddere formam. 150

4. Circa secundum huius sic dicit Aueroy in commento supra librum *Phisicorum*, quod finis est causa causarum, sed omnis causa prior est suo causato uel suo effectu, prior ergo erit finis omnibus aliis causis. 155

Contra dicit Boecius quod finis est effectus aliarum causarum, ergo cum effectus sit posterius, finis erit posterior aliis.

Ad hoc dicendum quod finis in intentione est prior, in operatione est posterior.

5. Circa tertium queritur sic, sed de numero et sufficientia causarum. 160

Et quare materia non concidit cum aliis.

Et quo modo finis concidit cum forma.

Et quare forma et efficiens non concidunt in idem numero, sed solum in idem specie.

Et quare sunt tria principia in natura, et quattuor cause. 165

Et quare etiam priuatio est principium et non causa, finis autem e contrario, est causa et non principium.

Ad primum istorum dicendum quod uno modo sic siue numerus causarum, quia in actione naturali requiritur agens et paciens, et illud quod agit et respectu cuius agit, a parte agentis est causa efficiens, a parte patientis est materia. Effectus autem quem inducit agens in paciens est forma respectu cuius est finis. 170

Alio autem modo sic sumitur: causa autem rei est in fiendo aut in essendo. Si in essendo aut mouet aut mouetur, si mouetur sic /273**ub**/ est materia, si mouet sic

---

164. numero *expunctuatum*; 168. tamen *expunctuatum*

est forma. Forma enim reddit materiam de potentia in actum, si in fiendo aut mouet  
175 methaphorice secundum intentionem aut secundum ueritatem. Primo modo est  
finis, secundo modo efficiens.

Alio modo sic: causa rei aut est intra aut extra. Si intra aut potentia aut actu.  
Si potentia sic materia, si actu sic est forma. Si extra aut secundum ueritatem aut  
secundum intentionem. Primo modo efficiens, secundo modo finis. Philosophus  
180 autem in libro *Phisicorum* probat sic numeri causarum tot modis sunt cause quot  
modis contingit querere propter quidam de materia et forma efficiente et fine, ergo  
tot sunt cause et non plures.

Ad secundum dicendum quod materia est sicut potentia. Alie autem sicut  
actus et quia, sicut dicit Aueroy, actus et potentia est prima contrarietas in hoc  
185 genere. Contraria autem non possunt concidere et propter hoc materia non concidit  
cum aliis.

Secunda causa est quia materia est radix aliarum causarum, materia enim  
est ingenita et intemporalis secundum quod scribitur in libro *Phisicorum*, et omnes  
alie cause resoluuntur in materia et ibi est stratus, et materia semper manet per  
190 essentiam, licet secundum esse transmutetur. Loquendo de illo esse de quo dicitur  
quod forma dat esse materie, et propter hoc, quia causa et effectus non concidunt,  
corporale et incorporale non concidunt, materia non concidit cum aliis.

Ad tertium dicendum quod quodam est agens uniuersale sicut materia  
uniuersalis, et tale agens aliud intendit et aliud operatur. Nam natura uniuersalis  
195 intendit speciem et operatur indiuiduum, et hac uia forma et finis non concidunt.  
Nam finis est respectu speciei, operatio autem respectu indiuidui. Sed agens  
particulare sicut homo intendit generare hominem, et sicut est agens particulare sic  
intendit indiuiduum et non speciem, unde intendit generare hunc hominem scilicet  
filium suum et curat minime de aliis. Et loquendo de tali agente concidunt forma et  
200 finis, quia idem est quod generatur et quod intenditur.

---

174. redunt *M*

Ad quartum dicendum quod si forma et efficiens in idem numero conciderent, tunc idem numero esset causa sui ipsius, et quia hoc est impossibile, propter hoc forma est efficiens, non concidunt idem numero sed in idem specie.

Ad quintum dicendum quod differunt causa et principium, nam principium dicitur prout est in motu ad rem fiendam, sed causa est prout res iam est in statu suo. Causa enim dicitur in relatione ad effectum qui iam est in statu suo et quia ad rem que est in statu suo quattuor requiruntur, scilicet forma, materia et efficiens et etiam finis, et propter hoc sunt quattuor cause, sed tria sunt principia, quia in actione naturali requiritur agens et paciens, a parte patientis est materia, a parte agentis forma. Et priuatio nam non est actio neque motus nisi sit resistens et contrarium, unde uult Aueroy supra librum *Phisicorum* quod si esset ponere uacuum non esset motus, quia non esset resistens, non potuit ergo esse agens in natura nisi haberet contrarium resistens, et propter hoc a parte resistentis fuit priuatio, a parte uero agentis forma et sic sunt tamen tria principia: materia, forma et priuatio. Impossibile enim est quod forma ignis introducatur in aere nisi prius aer priuetur sua forma, et propter hoc ad hec, quia forma agat in materiam, requiritur tertium principium quod est priuatio. 205 210 215

Ad sextum dicendum quod principium, sicut dictum est, est in motu et fieri rei, causa autem in statu rei et complemento, et quia priuatio rei completa nil est, sed solum in generando, et propter hoc priuatio est principium et non causa. De fine autem est e contrario quia finis est status et complementum rei, principium autem est in motu et fieri, et propter hoc finis fuit causa et non principium. 220

6. Circa secundum queritur primo de modo processus in diuisionibus.

Secundo queritur quare indifferentiis precipue est defectus nominum.

Et quare plus a parte priuationis quam habitus. 225

Tertio queritur utrum differentia conuertatur cum specie cuius est differentia.

---

204. primum *lituratum*; quintum *mg*.



Circa primum sic scribitur in quinto *Prime philosophie*: quod peccatum est docere scientiam et modum scientie, ergo cum iste doceat diuidere, non debet  
230 docere modum diuidendi.

Propterea scribitur in libro *Phisicorum* quod alterius est uti temone et constituere temonem, et in principio *Noue ethice*, alterius est constituere gladium et uti gladio, nam falcarius constituit gladium et miles utitur gladio, ergo alterius est diuidire et docere modum diuidendi.

235 Ad dicendum quod quedam sunt proprietates communes que secuntur rem a parte forme, et de istis unum est quod eiusdem scientie non est considerare rem et modum rei, et hoc modo de diuisionibus agitur in libro Boetii, ubi docet modum diuidendi et in secundo *Posteriorum* ubi docet uenari quod quid est per diuisionem. Alie sunt proprietates proprie que secuntur rem a parte materie ut pennatum et non  
240 pennatum in animalibus, habere sanguinem et non habere sanguinem, et cuius est considerare materia, eiusdem est ponere diuersitatem inter istas differentias et sic est in isto libro, docet diuidere et modum, et per hoc patet solutio ad primum argumentum. Proprio enim uera est de proprietatibus communibus que consecuntur materiam. Per hoc patet solutio ad secundum et tertium.

245 Quare in differentiis precipue est defectus nominum.

Ad hoc dicendum quod sicut dicit in quarto *Methaphisicorum* differentie rerum sunt in nobis incognite et dicit ibi Alfaretus /274ra/ commentator quia differentie rerum sunt nobis incognite et nos non imponimus nomina nisi rebus notis, propter hoc non imponimus nomina differentiis, et si obicias, quia nomina  
250 imponuntur, quare cuilibet rei possumus imponere nomen, dico quod nomina imponuntur ad placitum, sed tamen cum ratione et quia rationem non possumus redere de rebus incognitis, propter hoc rebus incognitis non imponimus nomina, et hac de causa differentie carent nominibus et maxime differentie que dicuntur

---

231 altius *M*

239. a *expunctuata*; et *add.*; 242. sto *M*

245-246. ad que sita autem de secunda *lituratum*; quare in differentiis precipue est defectus nominum. Ad hoc dicendum *in inferiori margine*;

priuatiue, quia priuatio magis incognita quam habitus. Priuatio enim non cognoscitur nisi per habitum. 255

7. Circa tertium huius sic genus descendit in speciem per differentias, ergo differentia est medium inter genus et speciem, sed plus et mediatus se tenet a parte generis, ergo differentia est in plus quam species.

Propterea differentia est pars speciei, ergo est prius quam species, quia pars prius est natura quia totum sed prius est illud a quo non conuertitur continua, sed omne illud a quo non conuerti continua est in plus, ergo differentia est in plus quam species. 260

Propterea dicit philosophus quod quelibet pars diffinitionis est in plus, totum autem eque, sed differentia est pars diffinitionis, ergo est in plus quam species, sed nullum quod est in plus quam species, est conuertibile cum specie, ergo differentia non est conuertibilis cum specie. 265

Ad hoc dicendum quod differentia proxima et immediata conuertibilis est cum specie, in suppositis tamen natura prius est differentia quam species, unde tempore simul sunt. Natura autem prius est differentia, sicut uidimus quod latio solis super terram et dies simul sunt tempore, tamen natura prius est latio solis super terram. 270

Ad primum argumentum dicendum quod genus descendit in speciem per differentias, tamen ultima differentia in suppositis conuertitur cum specie licet natura et essentia prius sit quam species.

Ad secundum dicendum quod quoddam est prius continuitate et dignitate et tale prius est a quo uero conuertitur continua sic animal prius est quam homo, est aliud prius natura sic latio solis super terram prius est quam dies, et ab isto priori bene conuertitur continua. Si enim sequitur, dies est, ergo latio solis super terram sic e contrario. Hoc modo est differentia respectu speciei non primo modo. 275

Ad tertium dicendum quod cum dicit philosophus quod quelibet pars in plus, totum autem in eque, loquitur de differentiis que sunt superius ad speciem et non de immediata differentia speciei, rationale enim et morale non sunt differentie 280

hominis, sed quia non habemus differentiam nominatam, ponimus duas pro una  
sicut dicit Boetius propter defectum nominum et ita quelibet est in plus et ambe  
285 sunt in eque.

Circa tertium queritur de modo cognitionis, et queritur primo de cognitione  
prima utrum sit possibile ipsum cognoscere.

Vtrum intelligentie cognoscunt res in primo uel in se ipsis.

Tertio utrum una intelligentia cognoscit alteram uel per sui speciem uel per  
290 sui essentiam.

Quartum dicendum diuersis modis cognoscendi.

**8.** Circa primum sic in tertio *De anima*: nihil est in intellectu quod prius  
fuerit in sensu, ergo cum primum nullo modo cadat in sensu, nullo modo poterit  
aprehendi ab intellectu.

295 Propterea scribitur in principio *Methaphisice* sicut se habent oculi noctue  
ad lucem diei, ita se habet intellectus noster ad nature manifestissima. Sed  
manifestationes nature est primum, ergo sicut oculus noctue non potest uidere  
lucem diei, sicut intellectus noster non potest apprehendere primum.

Propterea primum est infinitum, ergo non contigit intelligere primum quare  
300 nec cognoscere ut uidetur.

Contra scribitur in libro *De anima* quod intellectus est quodam modo  
omnia, quia possibilis est ad cognoscendum omnia, ergo potest cognoscere  
primum.

Propterea dicit Agustinus quod intellectus omnium similitudines in se gerit,  
305 ergo intellectus potest cognoscere primum.

Propterea scribitur in libro *De causis* quod omnis intelligentia est plena  
formis et exponit commentator quia intelligentia habet similitudinem omnium  
formarum, sed intellectus intelligendo communicat cum intelligentia, ergo habet

---

287. primi *M*

288. in *expunctuatum*

292. qui *M.*; quod *add.*; 294. aphendi *M.*

297. habet *expunctatum*

305. propterea *M.*; 306. quod *add.*

similitudinem omnium formarum, ergo intellectus potest intelligere omnia et cognoscere. 310

9. Circa secundum huius sic dicturus est philosophus in hoc libro: natura semper facit quod melius est, sed melius est intelligentiis cognoscere res in primo quam in se ipsis, ergo intelligentie cognoscunt res in primo.

Propterea peccatum enim fieri per duo quod potest fieri per unum, ergo cum in primo tamquam in speculo eternitatis possunt intelligentie cognoscere res, 315 peccatum esse si alio modo cognoscerent.

Contra omnis intelligentia est plena formis ergo intelligunt in se ipsis.

Propterea nisi cognosceret res in se ipsis tunc intelligentia minus nobilis esset quam intellectus humanus quod est inconueniens.

Sed tunc est questio circa hoc cum in primo cognoscunt intelligentie 320 tamquam in speculo, et similiter in intelligentiis intelligeret res tamquam in speculo, utrum prius possit ad celare quam ad citare intellegentiis /274rb/ et intelligentie intellectui humano, quia nos uidemus in speculo corporali quod forme omnes relucent et non possunt occultari, ergo similiter in speculo spirituali quod est primum et ita cognoscit intelligentiam in primo in cognitione, et intellectus 325 humanus in cognitione intelligentie.

10. Circa tertium huius sic: quedam est lux spiritualis et quedam corporalis, sed lux corporalis per essentiam cognoscitur ab oculo corporali, ergo fortiori ratione lux spiritualis per essentiam cognoscitur ab oculo spirituali, ergo una intelligencia cognoscit aliam per essentiam. 330

Propterea quod oculus apprehendat rem per sui speciem, et hoc est propter in proportionem obiecti ad organum, quia uissus spiritualior est quam obiectum sicut lapis uel aliud obiectum, et propter hoc oportet quod in esse magis spirituali eleuetur forma lapidis et iugitur cum oculo et cognoscit oculus lapidem per sui speciem. Sed una intelligentia eque spiritualis est sicut alia, ergo non oportet 335 speciem eleuari, ergo una intelligencia cognoscit aliam per essentiam.

---

329. cum *M*; una *add.*

Contra scribitur in libro undecimo *Methaphisice* quod in omni intelligencia alia a primo differt quod intelligitur et per quod ergo si intelligencia cognoscit aliam intelligenciam, hoc non est per essenciam sed per speciem.

340 Propterea si una intelligencia cognosceret aliam per essenciam iam pacificaretur primo in cognitione quod est inconueniens, ergo una non cognoscit aliam per essenciam sed per speciem solum.

Ad ultimam questionem dicendum quod unus modus cognoscendi est per speciem secundum dicit philosophus quod lapis non est in anima sed species  
345 lapidis.

Secundus modus cognoscendi est cognoscere rem in alia, sicut res cognoscitur in speculo et hoc modo cognoscunt intelligenciam res in primo.

Tercius modus cognoscendi est cognoscere unum contrarium per suum contrarium sicut cognoscimus priuationem per habitum.

350 Quartus modus est cognoscere causam per effectum ut per bonitatem artificii laudatur bonitas artificis, hoc modo creatorem cognoscimus per creaturas, omnia enim opera creatoris relucet in creaturis.

Quintus modus est cognoscere rem per eleuationem et abstractionem ipsius anime et de hoc modo cognoscendi numquam loquitur philosophus. Sed Auicenna  
355 de hoc modo loquitur in suo libro *De anima* ubi dicit quod intellectus due sunt facies: una est quam habet intellectus ad uirtutes inferiores, secundum quod intellectus agens recipit a possibili. Alia est quam habet intellectus per abstractionem et eleuationem ab omnibus conditionibus materialibus et hanc habet per relationem ad intelligentiam influentem. Et quando anima sic est eleuata  
360 intelligencia detegit ei multa. Vnde dicit Auicenna quod recollit preterita et predicit futura et potest precipere pluuiis et tonitruo ut cadant et potest nocere per malum oculum suum. Vnde dicit Auicenna quod oculus facinatus †...fenant† fecit cadere caniculum in foueam, et sic eleuantur illi qui sunt inextasi ut religiosi,

---

337. intelligenciam *M*

342. optima distinctio *mg. alia manu*

361. da *expunctuatum*

contemplatiui et maniaci et frenetici, et hoc modo anima cognoscit primum et se ipsum per essentiam, per reflexionem sui ipsius supra se. 365

Dico ergo ad primum quesitum quod hoc modo potest cognosci primum uel etiam quarto modo.

Ad primum argumentum dicendum quod dicit philosophus quod unus est in intellectu quando prius fuerit in sensu, loquitur quantum ad primam faciem intellectus secundum quod recipit ab uirtutibus inferioribus. 370

Ad secundum dicendum quod illa propositio tenet de intellectu quantum ad primam faciem intellectus prout operatur cum fantasmate.

Ad tertium dicendum quod quoddam est infinitum per priuationem secundum quod infinitum est cuius quantitatem accipientibus semper contingit aliquid sumere extra. Hoc enim est infinitum diuisione et primo et tale infinitum non est in actu et tale infinitum nec est nec contingit intelligere, hoc modo non est primum infinitum sed est in finis uirtute, est enim qualibet re simul tempore intra et extra per essentiam. Tale infinitum est, et quia est, contingit ipsum intelligere. 375

Ad secundum quesitum dicendum quod intelligentie cognoscunt res in primo et in se ipsis sicut ergo possunt uidere te per me sine speculo et cum speculo similiter. Vnde sicut melius uidemus nos rem per nos sine speculo quam cum speculo, similiter per contrarium melius uident res intelligentie in speculo eternitatis quam in se ipsis. 380

Ad primum argumentum dicendum quod natura facit quod melius est, sed melius fuit quod intelligentie intelligerent in primo et in se ipsis quam in primo solum. 385

Ad secundum dicendum quod uerum est quod peccatum est fieri per duo quod potest fieri per unum, †humane† potest fieri sicut per duo sed sic non in proposito, et propter hoc tu non obicis.

Ad quesitum circa hec dicendum quod duplex est effectus lucis: primus et secundus. Primus est lucere et istum actum non potest occultare per naturam, nec 390

---

374, 376. contigit *M*

enim potest esse lux quoniam luceat. Vnde primum †continue† influit lumen in  
istis /274ua/ inferioribus, et si traheret suam influentiam, subito reddirent res in  
nihilum et humane similiter non potest denegare intelligentia, quia ubicumque est  
395 lux oportet quod luceat de necessitate. Est etiam secundus actus lucis scilicet  
representare ea que fiunt in ipsa luce, et quantum ad hunc actum non est simile de  
speculo corporali et spirituali. Nam speculum spirituale, sicut prior, uel intelligentia  
operatur a uoluntate, et propter hoc quando primum uult, detegit intelligentia et  
quando non uult non detegit. Eodem modo est de intelligentia intellectu humano.  
400 Sed speculum corporale non operatur a uoluntate et propter hoc quecumque  
reccipit, detegit, uelit, nolit.

Ad tertium quesitum dicendum quod una intelligentia cognoscit aliam per  
speciem et non per essenciam, quia cum illud quod intelligitur, agat et imprimat se  
in intelligente, oportet quod intellectum spiritualius sit quam intelligens. Vnde cum  
405 una intelligentia ea que fit spiritualis cum alia, oportet ad hoc quod una intelligat  
aliam eleuari per speciem in esse magis spirituali, et sic una intelligentia cognoscit  
aliam per speciem et non per essenciam.

Ad primum in contrarium dicendum quod non est simile de luce et oculo  
corporali et de luce et oculo spirituali nam oculus corporalis non potest  
410 apprehendere rem nisi mediante luce, et propter hoc semper oportet medium  
iluminari, et quia non potest uidere nisi mediante luce cum paruum habeat de luce  
in sui compositione, oportet quod lucem apprehendat per essenciam, quod nisi  
recciperet uirtutem lucis, non uideret, unde illa animalia que habent oculos  
luminosos in quorum compositione multum est de luce. Vnde uident sine luce  
415 exteriori quia illuminant sibi medium sicut gata et mures bene uident de nocte.  
Similiter dico quod intelligentia lux est, unde non requirit lucem mediam in sui  
cognitione et intelligentia quam debet cognoscere lux est, et propter hoc non  
comprehendet lucem ut cognoscat per essenciam, sed oportet quod abstrahatur

---

405. inteligenciat -enci- *expunctuatum*

406. per *add.*; 417. inteligenciam *M*

species intelligencie ut possit se imprimere intelligencia in intelligente, sicut dictum est. Per hoc patet solutio ad secundum. 420

Videtur quod intellectus humanus possit apprehendere primum et uidetur quod non, quia, sicut scribitur in libro *De anima*, excelencie sensorum corrumpunt sensus, unde requiritur proportio organi ad obiectum, sed nulla est proportio primi ad intellectum humanum, ergo intellectus humanus non potest apprehendere primum. 425

Ad hoc dicendum quod quantum ad primam faciem intellectus nulla est proportio ipsius cum primo, sed quantum ad secundam, quando anima eleuatur et abstrahatur a conditionibus materialibus, est aliqua proportio ipsius cum primo, uel dicamus quod per suam essentiam et per se intellectus non potest cognoscere primum, quia defecit proportio. Sed quarto modo cognoscendi secundum quod 430 causa cognoscitur per effectum, possibile est quod intellectus cognoscat primum.

---

419. sicut *expunctuatum*; 421 quod *add.*  
421-422. primum et uidetur quod non *mg.*  
423. corupunt *M*; 427. secunda *M*



## Questio secunda

### *Postquam distinximus istas res et cetera.*

1. Hic queritur primo utrum animal immediate sit ex elementis, quia dicit philosophus in XVII quod per eadem uiam procedunt resolutio et generatio, sed  
5 different penes fines. Nam illud quod fuit primum in generatione, est ultimum in resolutione, sed resolutio animal est immediate in elementa, ergo animal immediate componitur ex elementis.

Propterea dicit Auicenna quod sicut ex mistibilibus fit mistum, sic ex  
complexionibus fit complexionatum, sed mixtum immediate fit ex mistibus, ergo  
10 complexionatum immediate fiet ex complexionibus elementorum, ergo animal immediate componitur ex elementis.

Propterea officialia immediate componuntur ex consimilibus, ergo a simili  
consimilia immediate ex elementis sed ex consimilibus tamquam ex partibus primis  
est animal, ergo animal immediate componitur ex elementis.

15 Contra uerba procedit ordinate in suis actionibus, ergo primo ponit mixtum ex elementis, terre nascens ex mixto, animal ex terre nascentibus, ergo animal non componitur immediate ex elementis.

Iusta hoc queritur quare cum multa sint media inter animalis et elementa  
scilicet mixtum et terre nascens, quare medicus et iste artifex immediate  
20 componunt animal ex elementis.

Ad primum istorum dicendum quod quedam sunt animalia uilia in quibus  
sufficit agens uniuersale sicut anguille et animalia generata per putrefactionem, et

---

1. questio secunda *mg.*

8. quod *add.*; mistibilibus *M*

talia immediate fiunt ex elementis. Sed animalia nobilia sicut homo, equus in quibus non sufficit agens uniuersale, sed requiritur generatio mediante agente particulari, et talia non inmediate generantur ex elementis, sed multa media generatur enim ex spermate et sanguine menstruo, et sperma et sanguis menstruus ex humoribus, et humores ex terre nascentibus, et terre nascentia ex mixtis, et mista ex elementis. 25

Ad primum autem in contrarium dicendum quod non est simile de generatione et resolutione. Nam in generatione procedit ordinate natura, sed in resolutione inordinate, quia tunc operatur /274ub/ coacta, uellet enim quod corpus numquam disolueretur si posset, sed quia non potest, dimitit corpus et resoluitur in elementa. 30

Ad secundum dicendum quod ex talibus elementorum immediate resultat complexio, sed non complexio talis que est in primo gradu uel secundo, quia hec complexio uenit non ex qualitatibus elementariis immediate sed ex ipsis fractis et quia in mistione frangitur corpus complexionatum et immediacius est ex mistis quam ex elementis. 35

Ad tertium dicendum quod inter membra officialia et consimilia non potest esse medium. Iterum consimilia et officialia sunt a uirtute communi consimilia in compositione, sed inter elementa et consimilia sunt multa media sicut mistum et terre nascens. Iterum non sunt a uirtute communi, nec sunt consimilia in consimilia in compositione, et propter hoc non est similis comparatio inter officialia et elementa. Propterea ex isdem est res et conseruatur animalis, sicut dicit Ysaac, ergo nec ex elementis potest esse immediate. 40

Ad illud quod querit dicendum quod operationes animalis immediate causantur a calido et frigido que sunt qualitates elementarie, et propter hoc medicus et iste artifex immediate componit animal ex elementis. 45

---

25. inmediate *M*

30. et resoluitur corpus in elementa *expunctuatum*; 35. eis *expunctuatum*

36. franguntur *M*; 39. esse *add.*

### Questio tertia

#### *Sequitur dicere de cerebro et cetera.*

Hic queritur primo utrum miscibilia maneant in mixto.

Dato quod maneant, queritur utrum actu uel potentia.

5       1. Circa primum sic dicit Galenus in libro *De complexionibus*: in elementis sunt complexiones ultimate, in elementis uero mixtis sunt fracte, ergo cum complexiones elementorum, sicut fracte in mixto, manifestum quod elementa non manent in mixto.

Propterea dicit Auicenna quod complexio est uia in speciem, ergo ad  
10 generationem ignis requiritur complexio ignis ultimata, sed eadem sunt principia essendi et conseruandi, ergo ignis non potest conseruari sine complexione ultimata. Sed in mixto non sunt complexiones ultimate, ergo in mixto non manent elementa.

Propterea dicit autem in littera quod ignis non potest infrigidari quem ad  
15 modum a quo potest calefaci, sed nisi infrigidaretur non potest uenire in mistionem, ergo ignis non potest manere in mistione.

Propterea scribitur in libro *De generatione et corruptione* quod generatio unius elementi est corruptio alterius, ergo cum ex elementis generetur mixtum necesse est elementa curumpi, ergo elementa non manent in mixto.

Contra autem est philosophus in libro *De generatione et corruptione* quod  
20 partes remanent in composito sicut miscibilia in mixto.

Propterea mistio est miscibilium alteratorum unio, sed non posset esse unio nisi miscibilia manerent in mixtione, ergo elementa manent in mistione.

---

1. questio tertia *mg.*

15. mistione *M*

Propterea si aliquod elementum corrumperetur, tunc esset generatio huius  
tocius in hoc toto et tunc esset idem mistio quod generatio et hoc est inconueniens,  
ergo necesse est quod miscibilia maneant in mixtis, quod concedo. 25

Ad primum in contrarium dicendum quod cum Galenus dixit quod in  
elementis sunt complexiones ultimate. Loquitur de elementis in quantum partes  
sunt mundi et non in quantum ueniunt ad mistionem misti.

Ad secundum dicendum quod plura requiritur ad generationem quam ad  
conseruationem, unde licet ignis non possit generari sine complexione ultimata, 30  
potest tamen conseruari in complexione fracta.

Ad tertium dicendum quod iste sermo sic debet intelligi: ignis non potest  
infrigidari, sicut aqua potest fieri calida actu, tamen calor ignis bene potest remitti  
per suum contrarium.

Ad quartum dicendum quod quedam est generatio huius ex hoc, et hec est 35  
linearis, et hec est in elementis ut ex aere generatur ignis, et de ista uerum est quod  
generatio unius est corruptio alterius.

Est etiam quedam generatio huius ex hiis, nisi ex patre et matre generatur  
filius et de hac non est uerum quod generatio unius sit corruptio alterius, quoniam  
generato filio, non propter hoc corrumpitur patre et matre. Similiter dico quod 40  
generato misto ex elementis, non propter hoc corrumpitur elementa.

2. Circa secundum sic dicit philosophus in libro *De generatione* et Ysaac in  
libro *De elementis* quod elementa sunt in potentia in mixto et non actu.

Propterea dicit philosophus in VII *Prime philosophie* quod ex duobus in  
potentia uel in actu nichil fit, sed ex uno in actu et altero in potentia, 45  
†elementorum† forma est actu in mixto, ergo elementa sunt in potentia.

---

23. aliqua *M*; corumperetur *M*

28. mistione *M*

33. non *expunctuatum*

Contra dicit omne quod operatur per complexionem quam habet actu siue per illud quod habet actu, sed elementa operantur actu in mixto, ergo elementa actu sunt in mixto.

50 Propterea elementa comparantur ad mistum sicut mistum ad terre nascens, sed in uiuentibus actu sunt mixta, ergo in mistis actu sunt elementa, quod concedo.

Sed nota quod duplex est actus, quidam enim est actus manifestus et sic /275ra/ sunt consimilia in officialibus, quidam autem est actus occultus et sic sunt elementa in mixtis actu, sunt enim ibi secundum actum sed ille actus est ita  
55 occultus, quod nos non possumus distinguere unum ab alio.

Ad obiectum autem in contrarium dicendum quod quedam est potentia que omni modo priuat actum et occultum et manifestum sicut unum elementum est in potentia ad aliud, et cibus extra ad hoc quod sit pars corporis, et sic non loquitur Ysaac cum dicit quod elementa sunt in potentia in mixto. Est et alia potentia que  
60 priuat actum manifestum, sed potentia habet actum occultum sicut diximus quod aqua feruens est calida in potentia, quia habet actum occultum, et de hac potentia uerum est quod elementa sunt in mixto, id est, in actu occulto.

Iusta hoc queritur quare membra consimilia secundum actum manifesta sunt in membris officialibus ita quod in manu possumus distinguere carnem ab osse, sed  
65 elementa in mixto sunt secundum actum occultum ita quod unum elementum non potest distingui ab alio.

Et quare iste artifex et medicus incipiunt ab elementis, phisicus autem eleuatus, incipit a materia et forma, sicut patet in libro *Phisicorum*.

Et quare ignis non potest infrigidari sicut aqua potest calefaci et qualitates in  
70 aliis elementis possunt reprimi.

Ad primum istorum dicendum sicut dicit philosophus quod eius quod miscetur, quelibet pars miscetur, unde in mixto est tactus elementorum secundum

---

47. dicit *add.*; 56. in *M*

60. habet *add.*

68. leuatur *M*; 71. quod *add.*

72. ty- *expunctuatum*

minima, et propter hoc in mixto non possunt elementa distingui secundum actum manifestum, sed consimilia in officialibus non miscetur sed minima, et propter hoc sunt ibi secundum actum manifestum ita quod possumus ibi distinguere carnem ab osse. 75

Causa autem huius est quia quanto aliquod magis accedit ad materiam, tanto plus habet de unitate et confusione, et quanto plus recedit, plus habet de forma et distinctione, et quia plus recedit a materia membrum officiale quam mistum, propter hoc consimilia membra magis sunt distincta in officialibus quam elementa in mixto. 80

Secunda causa est quia membrum officiale diuerse nature est in parte et in toto. Vnde quelibet pars manus secundum mixtum eiusdem nature est in parte et in toto, unde quelibet pars mixti est mixtum.

Ad secundum dicendum quod iste artifex principaliter determinat de operationibus animalium et medicus de operationibus hominis, et propter hoc ab elementis incipit medicus et iste artifex. Sed phisicus eleuatus considerat operationes communes in rebus naturalibus, et propter hoc incipit a principio communi et primo scilicet a materia et forma. 85

Ad tertium dicendum quod una causa est quia ignis est sicut forma et alia elementa sunt sicut materia. Vnde scribitur in libro quod omnia hec sunt materia ignis, ignis enim habet terram propriam in carbonibus, aerem in flama, aquam in balneo calido et quia forma est sicut agens, caliditas ignis non potest infrigidari, licet aqua possit calefaci et qualitates aliorum elementorum possint in contrarium transmutari. 90 95

Secunda causa est quia dicit Ysaac in *De elementis* quod in igne est caliditas ultimata, et in septimo *Methaphisice* dicit philosophus quod ignis est calidus in fine caliditatis, sed in aliis elementis non sunt qualitates ultimate, et propter hoc et cetera.

---

78. philosophus *M*; plus *add.*; 79. philosophus *M*; plus *add.*

85. determinant *M*

100           **3.** Postea queritur utrum mistio prius sit quam alteratio uel e contrario, quia  
omnis actio per contractum, ergo contractus precedit actionem, sed alteratio non est  
nisi per actionem, ergo prius est mistio elementorum secundum substantiam quam  
alteratio secundum actionem.

Contra scribitur in *De generatione* mixtio est miscibilium alteratorum unio,  
105 ergo prius est ibi alteratio secundum commune quam unio uel mixtio.

Propterea dicit philosophus quod si agens approximetur patienti,  
impossibile est non agere, ergo solum per contractum completum, antequam  
penetrent se inuicem est actio, sed per actionem est alteratio, ergo prius est alteratio  
quam mistio. Quod concedo.

110           Ad primum in contrarium dicendum quod prius est contractus secundum  
extrema quam alteratio, sed talis contractus non facit mistionem nisi sit penetratio  
substantiarum per minima, et hoc non potest esse nisi prius frangantur  
complexiones elementorum uel dicamus quod quedam sunt que alterant sine medio  
sicut ignis propriam materiam et de tali agente uera est proportio. Quedam autem  
115 sunt que alterant per medium ut ignis calefacit aerem, aer calefacens manum  
calefacit et de tali agente non est uera proportio.

Iusta hoc queritur utrum mistio precedat complexionem misti uel complexio  
mestionem.

Et utrum in mistione sit contractus elementorum per minima.

120           Et utrum motus elementorum in misto sit subito uel in instanti.

Ad primum istorum dicendum quod quedam est complexio particularis que  
est in elementis et hec precedit mistionem, quedam autem est complexio uniuersalis  
que relinquitur in mixto ex complexionibus elementorum fractis et talis complexio  
sequitur mistionem.

---

103. questionem *M*; actionem *add.*

120. mistio *M*

Ad secundum dicendum quod in mistione est contractus elementorum 125  
quantum ad minima actu sed non quantum ad minima potentia, quia tunc non fieret  
/275rb/ mistio cum minima in materia, in potentia sint infinita.

Ad tertium dicendum quod in generatione primus motus est alteratio,  
secundus autem motus est localis in mistione, quando substantia unius penetret  
substantiam alterius, tercius motus est generatio quando materia sic disposita 130  
introducitur forma. Duo primi motus fiunt in tempore, tercius autem in instanti,  
generatio enim fit subito et in instanti.

4. Postea queritur utrum membra officialia sint finis respectu consimilium.

Tertio utrum uirtus animalis operetur et uidetur quod non quia sicut dicit  
philosophus in libro *Phisicorum* quod finis et efficiens sunt extra rem, sed officialia 135  
sunt intra et consimilia et non extra ergo non se habent ad illa sicut finis.

Propterea dicit Galenus quod membra sunt propter uirtutem et uirtus per  
operationem, sed uirtus propria est in consimilibus sicut in officialibus. Nam sicut  
oculus est ad uidendum ita ossa ad corpus substinendum uel substentandum. Ergo  
cum uirtus sit in consimilibus, in officialibus erit in consimilibus propter propriam 140  
operationem sicut in officialibus, ergo officialia non sunt finis respectu  
consimilium.

Contra dicit philosophus quod prima compositio est propter secundam, et  
secundam propter terciam, sed tertia compositio est consimilium ex officialibus,  
ergo sunt propter officialia. 145

Propterea sicut se habent mixtum ad elementa et terre nascens ad mistum  
sic officialia ad consimilia. Sed elementa sunt propter mixtum uegetale, uegetale  
autem propter animal, sicut dicit Aueroy, ergo consimilia erunt propter officialia.

Ad hoc dicendum quod quidam est finis uniuersalis, quidam particularis et  
quidam extra et quidam intra et quidam intentionis et quidam operationis. Quidam 150  
autem operationis, finis autem uniuersalis est. Sicut dicit Aristoteles in quarto

---

134. per officialia et naturalis per consimilia. Quartum prius *lituratum*; et uidetur quod non quia  
*mg.*

147. sicut *M*



*Methaphisicorum* quod pepona sunt ad multiplicationem plante, ut mediante pepono generetur planta alia, et hic est finis particularis. Sed finis uniuersalis est quod plante sunt propter hominem, unde philosophus in libro *De plantis* dicit quod  
155 plante sunt propter animal et animal propter hominem. Loquendo ergo de fine extra qui est finis intentionis, consimilia finaliter sunt propter officialia. Sed loquendo de fine operationis particularis intra, consimilia habent propriam uirtutem et propriam operationem et proprium finem. Per hoc patet solutio ad argumenta.

Circa secundum huius sic: nos uidemus quod quando separatur caro a neruo  
160 est ibi solutio continui et morbus communis. Hoc autem non esset nisi membra consimilia essent continua, ergo membra consimilia erunt continua.

Propterea membrum officiale est unum neruo, consimila in officialibus sunt continua.

Propterea continua sunt quorum tres est unus, sed membrorum consimilium  
165 ut carnis et nerui non est tres unus. Ergo membra consimilia non sunt continua sed contigua.

Propterea membrum officiale est diuerse nature in toto et in parte. Sed eius partes essent continue si essent eiusdem nature in toto et in parte, ergo membra consimilia non sunt continua sed contigua.

170 Ad hoc dicendum quod continua uno modo dicuntur quorum tres est unus et sic partes membri consimilis sunt continue. Alio modo dicitur continuum per aliquod medium continuum ut in cerebrum et scia ligantur mediante neruo qui dicitur tensatos. Primo modo membra consimila non sunt continua in officialibus. Secundo autem modo sunt continua quia sunt continuata. Per hoc patet solutio ad  
175 argumenta.

Circa tertium sic: uirtus animalis operatur per membrum consimile.

---

154. plate *M*; 155. quod *add.*

156. intetionis *M*

168. si *add.*

Propterea tactus est ramus uirtutis animalis, sed tactus operatur per complexionem et complexio respondet consimilibus, ergo uirtus animalis operatur per consimilia.

Contra dicit Haly quod uirtus animalis operatur per compositionem, 180 naturalis autem per complexionem. Sed compositio respondet officialibus et complexio consimilibus, ergo uirtus animalis operatur per officialia, quia dicit Auicenna, et naturalis per consimilia.

Sed uidetur quod naturalis operetur per officialia, quia dicit Auicenna quod 185 quelibet uirtus naturalis operatur per uillos praeter digestiuam. Sed uillis debetur compositio, ergo uirtus naturalis operatur per compositionem, ergo per membra consimilia.

Propterea nos uidimus quod stomachos est concauus et epar ergo digestiua naturalis operatur per compositionem, sed compositio debetur officialibus, ergo per membra officialia operatur uirtus naturalis. 190

Ad hoc dicendum quod uirtus naturalis semper operatur per consimilia, sed uirtus animalis generale et in radice operatur per membrum consimile scilicet per cerebrum. In ramis autem ut in uisu, auditu ergo operatur per membra officialia quia ille uirtutes animales sunt particulares, et propter hoc operatur per membra deputata ad particulare officium. Sed tactus licet sit ramus uirtutis animalis, tamen 195 est propter totum corpus quia est tocuis corporis custos sicut dicit Auicenna, et propter hoc non operatur per membra consimilia. Dicit enim Auicenna istrumentum mandans est cerebrum, mandans autem et reccipiens neruus, reccipiens autem tamen caro. Per hoc patet solutio ad II prima argumenta.

Ad aliud dicendum quod attractiua, retentiua et expulsiua non operantur per 200 uillos solum sed per complexionem, ut attractiua per calidum et siccum, retentiua per frigidum, expulsiua per frigidum et humidum.

Ad aliud dicendum quod stomachos non operatur per concauitatem sed per complexionem, unde concauitas non iuuat nisi in retinendo cibum.

---

177. est *add.*

205           5. Iusta hoc queritur quare uirtus naturalis semper operatur per consimilia,  
uirtus animalis aliquando per similia, aliquando per officialia.

Et quare omnes uirtutes naturales operantur per uillos /275ua/ preter  
digestiuam.

Et quare membra exteriora magis perfecte sunt officialia quam interiora.

210           Ad primum istorum dicendum quod quanto aliquid magis recedit a materia  
plus habet de forma et de distinctione, unde quia homo plus recedit a materia  
quam planta, habet plura membra organata quam planta, ergo uirtus naturalis est  
propter animalem. Animalis magis formalis spiritualis quam naturalis est, et propter  
hoc maiorem distinctionem requirit in membris per que operatur quam naturalis.

215           Ad secundum dicendum quod digestiua conuertit cibum et generat sibi  
simile, unde si digestiua esset per uillos, totum corpus esset uillosum quia semper  
ex nutrimento fierent uilli. Sed alie uirtutes non conuertunt cibum nec generant sibi  
simile, et propter hoc bene possunt operari per uillos.

Ad tertium dicendum quod ad membrum officiale multa requiruntur.

220           Primum est quod sit dissimilis rationis in toto et in parte.

Secundum est quod habeat partes differentes in specie.

Tertium est quod sit deputatum ad aliquod officium speciale.

Quartum est quod habeat operationem propriam extra sic oculus ad  
uidendum et auris audiendum.

225           Quintum est quod operetur per compositionem et non per complexionem, et  
quia omnia ista est reperire in membris exterioribus, propter hoc membra exteriora  
maxime et uno modo sunt officialia. Sed cor et epar et stomachos et membra  
interiora etsi sint deputata ad aliquod officium, tamen non ad proprium officium  
sed commune, nec ad operationem extra sed intra, nec sunt dissimilis rationis in toto  
230 et in parte, et propter hoc non sunt uno modo officialia nisi quod ad quid, et propter  
hoc et cetera.

---

211. planta *M*

225. compositione *M*; 228. deputa *M*

### **Questio quarta**

#### ***Modo uero uolumus dicere et incipere sermones nuper et cetera.***

Hic restat querere primo de complexione in corporibus, utrum scilicet sit ibi calor informatiue uel effectiue.

Secundo autem utrum sit imponere alias proprietates scilicet frigidum et humidum et siccum. 5

1. Circa primum sic dicit philosophus in libro *De generatione*: quod calidum et siccum sunt in materia corruptibili et generabili, unde calidum non est in corporibus superioribus aut alia natura.

Propterea scribitur in quarto *Methaphysicorum* eo quod calidum et frigidum secuntur radicem generabile nec corruptibile, ergo corpora superiora non habent calorem effectiue. 10

Propterea scribitur in principium *Methaphysicorum* quod corpora superiora per motum caleficiunt hec inferiora, sed motus generat calorem equiuoce et non uniuoce, ergo illa corpora non habent calorem informatiue. 15

Propterea dicit Alfaretus libro *Methaphysicorum* quod corpora superiora generant calorem in hiis inferioribus per reflexionem radiorum ad duo corpora operata, scilicet ad terram et aquam, ergo calor in corporibus superioribus acquiritur ab extrinseco. Sed scribitur in principio *Methaphysicorum* quod corpora celeste non reccipit impressiones peregrinas, ergo cum de se non habent calorem nisi per reflexionem, mihi est quod non habent calorem informatiue. 20

---

1. questio quarta *mg.*

6. et *add.*; 8. corruptibili *M*; 11. corruptibile *M*

16. Alfaretus *M*

18. terra; aqua *M*

Propterea in quocumque est ponere unum contrariorum et reliquum, ergo si calidum informatiue est in corporibus superioribus, erit ibi suum contrarium, ergo ille calor erit passibilis quia duo contraria semper agunt et paciuntur ad inuicem.  
25 Sed hoc est inconueniens cum corpora superiora sint ingenerabilia, incorruptibilia et impassibilia, ergo non est ponere in ipsis calorem informatiue.

Contra dicit philosophus quod tres sunt species ignis: lux, carbo et flama, sed non est ponere ignem sine calore, ergo nec lucem. Ergo cum lux in corporibus superioribus sit informatiue et effectiue, erit calor informatiue et effectiue.

30 Propterea sicut se habet lux spiritualis ad calorem spiritualem, sic se habet lux corporalis ad calorem corporalem. Sed in intelligentiis ubi est lux spiritualis est calor spiritualis uiuificans ipsas informatiue, ergo similiter in corporibus superioribus ubi est lux corporalis, erit calor informatiue et effectiue.

Propterea dicturus est philosophus in hoc libro quod in quarta decima die  
35 fluunt menstrua, quia dies tunc magis calidi et hoc est quia luna est in plenitudine sui luminis, ergo calor sequitur lucem. Ergo sicut in corporibus superioribus est lux informatiue, similiter calor.

Propterea dicit philosophus in hoc libro et in pluribus locis quod simile est de maiori mundo et minori mundo, sed in homine non est ponere lucem sine  
40 calore. Species enim de quo dicit Auicenna in libro *De anima* quod est lux uel effigies lucis hiis, est calidum et siccum, et similiter sanguis qui est calidus et paruus, ergo in mundo maiori sicut in corporibus superioribus est lux informatiue et effectiue, similiter erit calor informatiue et effectiue. Quod concedo.

Sed nota quod triplex est materia secundum quod dicit philosophus in  
45 *Prima philosophia*. Est enim quedam materia generabilis et corruptibilis, et hec est in omnibus mistis ex quattuor elementis, et hec est corporalis.

---

25. incorruptibilia *M*

39. minora *M*; 41. calidus, siccus *M*

45. corruptibilis *M*

Et etiam quedam materia spiritalis et intelligibilis, et hec est ingenerabilis et incorruptibilis, et hec est in intelligentiis. Et est quedam materia media que non est spiritalis, sicut materia intelligentie, nec passibilis, nec corruptibilis, sicut materia istorum inferiorum. Et hec materia est in corporibus superioribus. 50

Similiter triplex est calor, est enim quidam /275<sup>ub</sup>/ calor igneus destructiuus, de quo dicit Ysaac in libro *De elementis* quod numquam generat sed semper destruit. Et etiam quidam calor celestis et hic calor nichil est contrarium quamdiu est in propria materia, sed quando in aliena materia, sicut in aere, habet contrarium aeris et quod aque. Et tercius calor similis isti, quem uocat Auicenna calorem anime, et de isto dicit Haly quod est quidam muliebris et suavis tactu qui generatur in corde. Et iste quamdiu est in statu naturali, est principium conseruationis, sed quando uariatur a debito stato, ut quando fit igneus, est principium corruptionis, sicut patet in febre, unde febris nil aliud est quam calor innaturalis mutatus in igneum, super lux quedam est spiritalis, ut in intelligentiis, quedam corporalis, ut lux materialis, et hec est passibilis et habet contrarium. Et quedam est media impassibilis et incorruptibilis, que est in corporibus superioribus, unde dico quod in corporibus superioribus sicut est lux impassibilis informatiue et effectiue, similiter calor impassibilis et informatiue et effectiue. 60

Ad primum in contrarium dicendum quod calidum et siccum non sunt in corporibus superioribus, sed in materia generabili et corruptibili, unde est de calido igneo qui est passibilis, sed in corporibus superioribus est calor impassibilis. Per hoc patet solutio ad secundum. 65

Ad tertium dicendum quod calor uno modo generatur per motum effectiue et per confrigationem corporum, et talis generatio est equiuoca. Sed dico quod corpora superiora habent calorem informatiue, et ille calor per motum multiplicatur 70

---

47. intelligibilis *M*; et hec est ingenerabilis *mg*.

48. incorruptibilis *M*; 49. possibilis *M*; corruptibilis *M*

53. huic *M*; hic *add.*; 54. in *add.*

56. sauis *M*; 66. corruptibili *M*

in contrariis inferioribus. Vnde dico quod corpora superiora informatiue habent calorem de se, sed per motum suum caleficiunt ista inferiora.

Per hoc patet solutio ad quartum. Dico enim quod radiis corporum  
75 superiorum est calor informatiue, sed per reuerberationem ad corpus solidum  
augmentatur calor et multiplicatur.

2. Circa secundum sic: in quocumque est ponere unum contrariorum et reliquum, ergo sicut est ponere calidum in corporibus superioribus, sic frigidum.

Propterea sicut dicamus quod sol est calidus et siccus, similiter dicamus  
80 quod luna frigida et humida.

Contra sicut dicit Auicenna, frigidum non immiscet se operationibus nature, unde frigidum est pura priuatio sicut scribitur in isto duodecimo, ergo cum corpora superiora sint principia rerum naturalium, in ipsis non est ponere frigiditatem.

Quod concedo quia iam calor eorum esset passibilis. Iterum non ibi ponere  
85 humidum uel siccum, quia qualitates passiue, sicut dicit Auicenna, disponunt  
corpus ad paciendum et recciendum, sed corpora superiora sunt impassibilia .

Ad primum in contrarium dicendum quod ubi est ponere unum contrariorum et reliquum et hic tenet in formis passibilibus quia solum ille forme habent contrarium quia sunt passibiles, et quia calor in corporibus superioribus est  
90 impassibilis, propter hoc non habet contrarium.

Ad aliud dicendum quod luna non dicitur frigida quia sit frigida informatiue, sed quia de se minus habet de lumine et calore quam cetera corpora superiora. Et propter hoc non ualet quod tu obicis, quoniam licet sol sit calidus et siccus, non tamen luna est frigida.

95 3. Hoc habito, queritur de complexione in elementis et primo utrum qualitates sint ultimate in elementis, quia scribitur in secundo *De generatione et corruptione* quod ad generationem ignis requiritur quod materia summe calefiat et summe dessicetur. Sed ibi describitur quod eadem sunt principia generationis et

---

73. inferior *M*; 78. sicut *M*

86. impossibilia *M*

97. corruptione *M*; generatione *M*

conseruationis, ergo sicut ad generationem ignis requiritur qualitas ultimata, similiter ignis conseruatur in caliditate ultimate. 100

Propterea dicit Galenus in libro *De complexionibus* quod qualitates in elementis sunt ultimate, in elementis autem sunt fracte.

Propterea scribitur in secundo *Prime philosophie* quod ignis calidus est in fine caliditatis, ergo caliditas ultimata est in igne.

Propterea scribitur in libro *Phisicorum* quod magis et minus est aliquo per accessum ad contrarium. Sed unum elementum complete distat ab alio, ergo in elementis qualitates sunt ultimate. 105

Contra dicit Auicenna quod aer continens continue resoluit a corporibus nostris duplici de causa. Vno modo per suam caliditatem essencialem, secundo modo per calorem a corporibus superioribus in aere impressum. Ergo cum calor a superioribus imprimatur in omni elemento, in omni elemento frigidus est calor cum frigiditate. Sed omne contrarium remittitur per suum contrarium, ergo frigiditas in omni elemento est ultimata. 110

Propterea scribitur in quarto *Methaphisicorum* quod omne liquidum et fluxibile est huiusmodi per naturam caliditatis, ergo in aqua non est humiditas sine calore, ergo in aqua non est frigiditas ultimata quia contrarium ultimum non compatitur suum contrarium. 115

Propterea illud quod est intus, non potest augmentari uel intendi. Sed frigiditas in aqua potest intendi per congelationem, ergo frigiditas in aqua non est ultimata. 120

Ad hoc dicendum quod inter omnes qualitates, nulla est ultimata /276ra/ qualitates ignee, quia ignis est magis simplex et actiuus et etiam fortior quam aliquod aliorum. Iterum caliditas corporum superiorum non reprimit frigiditatem, et propter hoc non potuit esse frigiditas ultimata.

Per hoc patet solutio ad argumenta. 125

4. Postea queritur utrum siccum in igne et in terra sint idem in specie, et similiter de omnibus aliis qualitatibus que conueniunt duobus elementis, quia



contrariarum causarum contrarii sunt effectus. Sed caliditas et frigiditas in terra sunt contraria, ergo siccum causarum a qualitate ignis et a frigiditate terre non est  
130 idem in specie, sed potius contrarium.

Propterea si siccum, terreum et igneum essent idem in specie, tunc unum esset principium alterius, quia non contingit ponere duo principia, ergo non sunt idem in specie.

Contra, magis et minus non diuersificant speciem, sed siccum, igneum et  
135 terreum differunt secundum magis et minus, quia materia non facit differre secundum speciem, ergo siccum, terreum et igneum non differunt secundum speciem.

Quod concedo. Differunt enim secundum magis et minus.

Ad primum in contrarium dicendum quod siccum per se et essentialiter est  
140 in terra, calidum in igne et frigidum in aqua et humidum in aere, unde siccum in terra non causatur a frigiditate, quia essentialius est ibi siccitas quam frigiditas. Sed siccum in igne est per accidens scilicet per calorem.

Ad secundum dicendum quod non oportet quod unum sit principium alterius, quia siccitas in terra est per se, in igne autem est per accidens.

Iusta hoc queritur quare calidum intenssum sequitur semper siccitas,  
145 frigidum autem intenssum humiditas.

Ad hoc dicendum quod secundum quod scribitur in quarto *Methaphisicorum* calidum congregat homogenea et separat etherogenea, quia ergo separat etherogenea, cum humidum subtilius sit quam siccum, terrestre consumit  
150 humidum et uacuat, et consumpto humido remanet siccum, frigidum autem e contrario. Nam frigiditas ultimata est in aqua et propter hoc frigidum intenssum semper sequitur humidum aquosum.

5. Postea queritur utrum humiditas possit separari ab aqua, quia frigiditas essentialius inest aqua quam humiditas. Sed frigiditas potest auferri ab aqua,

caliditas autem ab igne, non scribitur in hoc duodecimo, ergo forciori ratione 155  
humiditas potest separari ab aqua.

Propterea dicit Auicenna quod aqua pluuiialis et aqua que generatur per  
sublimationem sicut aqua rosacea, aquirunt siccitatem et fiunt stiptice, ergo  
humiditas separari potest ab aqua.

Propterea dicit philosophus in libro *Methaphisicorum* quod arescunt aque et 160  
quecumque sunt aque species ergo aqua potest disicari.

Propterea sicut frigiditas remouetur ab aqua in aqua feruenti, similiter  
humiditas in glacie, ergo potest remoueri ab aqua humiditas.

Contra dicit Galenus quod forma ignis est contraria forme aque, unde  
quantumcumque sit aqua calida, ponatur ibi ignis exstinguet ignem, ergo sicut 165  
caliditas non potest superari ab igne, sic nec humiditas ab aqua.

Propterea humiditas est qualitas que maxime adheret materie, ergo cum  
materia non possit separari aere nec humiditas ab aqua.

Propterea, dicit autem sex principiorum quod substantiale est quod confert  
esse rei et impossibile est deesse, ergo cum quelibet qualitas elementaris fit 170  
essencialis elementis, nulla qualitas elementaris potest separari, ergo nec humiditas  
ab aqua.

Ad hoc dicendum quod humiditas non potest separari ab aqua quia est  
qualitas maxime materialis.

Ad primum in contrarium dicendum quod frigiditas non potest separari ab 175  
aqua, quin remaneat ibi essencialiter eodem modo, nec humiditas. Sed actu potest  
separari sicut patet in glacie, et hoc modo dicit philosophus quod arescunt aque et  
quecumque sunt eius species, id est, coagulantur.

Ad aliud dicendum quod aqua pluuiialis et aqua rosacea actualiter est  
humida licet essencialiter sit sicca, et hiis uisis patet solutio ad argumenta omnia. 180

---

155. forciora *M*

6. Postea queritur utrum qualitates elementorum sint sue forme essenciales, quia scribitur in nono *Prime philosophie* quod ab eodem est forma et actio, sed elementa agunt per istas qualitates, ergo sunt forme elementorum.

Contra scribitur in libro *Phisicorum* quod ex non substantiis non fit  
185 substantia, ubi uult probare quod materia et forma sunt substantie, sed iste qualitates accidentia sunt quia percipiuntur per sensum et nihil percipitur per sensum quod non sit qualitas ergo non sunt forme elementorum.

Propterea substantia non recipit magis et minus, nec habet contrarium. Iste qualitates habent contrarium et recipiunt magis et minus, ergo non sunt substantie.  
190 Ergo non sunt forme elementorum, quod concedo, sed sunt instrumenta per que operantur elementa.

Postea queritur utrum frigiditas sit pura priuatio uel natura aliqua.

Secundum utrum frigiditas miscant se operationibus nature.

Circa primum sic dicit Galenus: quod forma ignis et forma aque  
195 contrariantur, ergo sicut qualitas que est forma ignis, est aliqua natura, similiter frigiditas que est forma aque.

Propterea dicit philosophus quod lux subito alternat quia eius contrarium, scilicet tenebra, nichil est, ergo similiter si frigiditas nichil esset, calidum in instanti alternaret, quia non inueniret resistentes sed hoc est inconueniens, ergo frigiditas  
200 non est pura priuatio.

Contrarium autem dicit philosophus in hoc duodecimo quod frigiditas est pura /276rb/ priuatio, et Auicenna quod frigidum non immisceat se operibus nature.

Propterea dicit in decimo *Prime philosophie* quod in omnibus contrariis est unum habitus et reliquum priuatio ergo cum caliditas sit habitus, frigiditas erit  
205 priuatio.

Ad hoc dicendum quod frigiditas de se est aliqua natura et non est pura priuatio. Sed tamen dicitur priuatio respectu caliditas, quia caliditas est magis

---

184. quod *add.*; 188. habent *M*

199. resistes *M*; 203. dicit *add.*

206. naturalis *M*

actiua et plures habet operationes quam frigiditas. Philosophus autem dicit quod in talibus frigiditas est priuatio, loquitur in iuuentibus quia omne iuuens est calidum et humidum ad omnino, et ibi nil operatur frigiditas. 210

Circa secundum sic: sicut mistum est ex miscibilibus, sic complexionatum est ex complexionibus. Ergo sicut elementa frigida operantur in misto, sic frigiditas in complexionato, ergo frigidum immiscet se operibus nature.

Propterea nisi calidum reprimeretur a frigido, non esset mistio, ergo frigidum immiscet se operibus nature. 215

Contrarium dicit Auicenna quod frigidum non immiscet se operibus nature et etiam Aristoteles in duodecimo quod frigidum est pura priuatio.

Propterea simile est de maiori mundo et de minori. Sed in corporibus superioribus non immiscet se frigiditas, ergo nec inferioribus, ergo frigidum non immiscet se operibus nature. 220

Ad hoc dicunt quidam quod frigidum in quarto gradu non immiscet se operibus, sed frigidum in secundo uel in primo. Sed hoc nihil est quia similiter calidum in quarto non ingreditur operationes nature, quia plus corrumperet quam generaret.

Sed dicendum quod frigiditas consideratur aut quantum ad primum actum 225 aut quantum ad secundum. Si quantum ad primum qui est in frigidare, sicut frigidum per se non immiscet se operibus nature, sed per accidens scilicet ut reprimat caliditatem excellentem in igne. Sed quantum ad secundum sic immiscet se operibus nature, quia stomachum inaniit et inrigidat uillos stomachi corrugando, et ita confortat uirtutem appetitiuam. 230

---

209. omnes *M*

212. sicut *M*

223. corumperet *M*; 225. quantu *M*

229. corugando *M*



## LIBER XIII

### Questio prima

*Sequitur dicere de naturis dentium animalium et cetera.*

Circa XIII restat querere de gradibus et complexione et primo quid sit gradus.

Secundo de gradus distinctione.

5

Tercio de eius peratione.

Primo queritur hic quid sit gradus.

Secundo uero in quo predicamento sit.

1. Circa primum sic dicit Constantinus: quod gradus est qualitas sensu perceptibili. Sed omne quod est sub tertia specie qualitatis est sensu perceptibili, ergo omne quod est sub tertia specie qualitatis, est gradus. 10

Propterea gradus est qualitas sensu perceptibili. Sed temperamentum est sensu perceptibili, ergo temperamentum est in gradu.

Circa secundum huius sic: gradus distinguitur solum per relationem ad animam uel ad nos ut complexio secundum quod imprimit plus uel minus sic in hoc gradu uel in illo. Sed nihil quod est ab arce, est in aliquo predicamento, ergo cum gradus sit huiusmodi, gradus non est in predicamento. 15

---

1. questio prima *mg.*; 3. et *mg.*

Contra, dicit Constantinus quod gradus est qualitas, ergo est in predicamento qualitatis.

20 Propterea gradus est mensura rei graduate, ergo est in predicamento quantitatis.

Ad primum istorum dicendum quod gradus uno modo diffinitur per materiam et sic est qualitas sensu perceptibile. Illa enim qualitas que sensu percipitur est gradus. Alio modo diffinitur per comparisonem ad rem quam  
25 mensurat secundum quod dicimus quod hoc est calidum in primo uel in secundo, et sic est quantitas, et sic diffinit Iacobus. Aliquando sic: gradus est continuata proportio ab uno usque ad XVI per duplum. Alio modo comparatur gradus ad animam secundum quod anima imponit hoc esse in primo gradu uel secundo, et sic in nullo predicamento uadit siue cadit, quia non est tunc res sed modus rei, et hoc  
30 modo diffinitur sic: gradus est complexio anime ex impressione complexionis delicta, et non sequitur gradus, est qualitas sensu perceptibili, ergo omne sensu perceptibili est gradus, sicut non sequitur album, est qualitas sensu perceptibili, ergo omne sensu perceptibili est album.

2. Circa secundum queritur utrum numerus gradium possit excedere  
35 quattuor, et uidetur quod sic, quia sicut dicit aliquando, gradus est continua proportio, unde secundum distinctionem in numeris procedit distinctio gradualis, sed in infinitum potest semper crescere numerus duplicando, ergo gradus possunt adscendere in infinitum.

Propterea scribitur in *De sensu et sensato* quod extra infinitis modis possunt  
40 combinari, sed per combinationem extremorum in qualitatibus fit distinctio in gradibus et in complexionibus, ergo gradus possunt multiplicari in infinitum.

Contrarium autem dicit Auicenna et omnes alii auctores qui solum ponunt quattuor gradus.

---

32. perceptibile *M*

36. distincto *M*

Iusta hoc queritur quare gramaticus distinctionem gradualem facit per ternarium, medicus autem per quaternarium. 45

Et quare gradus quantum ad partes formales uel subiectiuas diuiduntur in quattuor: in primum, secundum, tertium et quartum. Quantum autem ad partes integrales diuiditur in tres: in primum, medium et finem.

Ad primum istorum dicendum quod gradus distinguitur per impressionem quam facit in corpore humano, unde duo gradus sunt supra complexionem 50 humanam, unus sub, alter sibi equalis, unde uersus primum dicatur et cetera, sed tunc obicitur quia si omnis actio est per contrarium, sed secundus gradus est equalis complexionem humane, ergo secundus gradus non imprimit in complexionem humanam.

Propterea primus gradus est sub complexione humana, ergo non agat in 55 ipsam cum omne /276ua/ agens in quantum tale sit forcius quam paciens. Sed gradus distinguitur per impressionem quam facit in corpus humanum, ergo primus gradus et secundus non sunt gradus, et sicut erit tamen ponere duos gradus.

Ad primum istorum dicendum quod quedam sunt contraria in specie, quedam autem in operatione in specie sicut ignis et aqua, in operatione sicut maior 60 flama et minor, contrariatur enim in operatione quia maior obfuscat minorem et tamen sunt eadem specie. Similiter in calore naturali et calore febrili, quod sunt eadem specie, contrariantur tamen in operatione. Dico ergo quod licet eadem specie sint secundus gradus et complexio humana, tamen secundum proprietates differunt et unum agit in aliud. 65

Propterea et si calidum in secundo non imprimat quantum ad primum actum, imprimit tamquam ad secundum.

Propterea calor humanus calidus est in secundo gradu informatiue solum, sed illa que sunt calida in secundo informatiue et effectiue. Vel dicamus quod licet secundus gradus equalis sit complexionem fluenti, tantum et primus et secundus 70 superat complexionem radicalem. Per hoc patet solutio ad secundum argumentum.

---

63. eodem *M*; 64. eodem *M*



Vel dicamus quod licet primus gradus sit sub compressione humana, agit tamen in ipsam tamquam contrarium in contrarium, quia minus contrariatur materia, sicut uidemus quod maior flama et minor agunt ad inuicem per  
75 contrarietatem, quare complexio fluibilis est calida in primo gradu, radicalis uero non ponitur in gradu.

Sed tunc queritur quare complexio fluens est calida in secundo gradu, complexio radicalis non ponitur in gradu.

Ad hoc dicendum quod, sicut dicit Auicenna, uita stat per temperamentum  
80 et quia radicalis est principium uite in essendo, oportuit quod esset temperata uel proprie temperatiua, et tunc temperatum uerum et primum gradum de influente non sic oportuit, quoniam non est principium uite in essendo.

Secunda causa est quia propter compressionem radicalium uiget tactus et tactus fit in temperamento. Alio modo non tangeret omnes qualitates et ideo  
85 radicalis complexio est temperata uel accidens ad temperamentum, fluens non.

Tertia causa est quia complexio radicalis communis est omnibus membris et uilibus et nobilebus. Sed complexio fluens oritur a corde, et ideo, sicut cor est calidius digito, sic complexio fluens calidior radicali.

Quarta causa est quia complexio radicalis est in quolibet membro propter  
90 se, sed complexio fluens generatur in corde propter totum corpus, et ideo est calidior, et oportet quod eleuetur in secundo gradu, quia calidior est quam radicalis, plus quam in duplo non. Sed si esset in primo gradu, non excederet nisi in duplo, etiam in duplo non excederet quia complexio radicalis non est temperata, sed est inter uerum temperamentum et primum gradum. Sicut dicit Constantinus oportet  
95 quod complexio fluens eleuetur in secundo gradu, unde non est calida in fine nec in principio, sed in medio sicut dicit Ysaac *In dietis uniuersalibus*. Sic ergo dico quod gradus distinguitur per impressionem quam facit in corpus nostrum. Per hoc patet solutio ad primum argumentum. Licet enim tu posses combinare utrum XVI tamen

---

75-76. quare complexio fluibilis est calida in primo gradu, radicalis uero non ponitur in gradu  
*mg.*

quicquid esset supra, corrumperet corpus humanum sicut quartus gradus  
 superponeretur in quarto gradu et sic non habiret in infinitum. Vel dicamus quod 100  
 temperamentum est sicut unum primus gradus duplicat temperamentum, unde in  
 temperamento est equaliter calidum et frigidum, in primo gradu in duplo est de  
 calido si accipiamus calidum in primo gradu, et est ibi de frigiditate quasi tertia  
 pars uel minus. Secundus duplat ad primum, ergo calidum est in quadruplo ita quod  
 solum quarta pars est frigida. Tercius duplat ad secundum, ergo sunt ibi octo 105  
 partes, septem caliditatis et octaua frigiditatis. Quartum duplicat ad tertium et sunt  
 ibi sexdecim partes, quinquedecim caliditatis et decimosexta frigiditatis. Si ergo tu  
 duplicares ultra et faceres quinque gradus, iam essent triginta duae frigiditatis, et  
 sic ita paruum esset ibi calido quod admitteret totam speciem suam, et sic non esset  
 mistio, sicut si iactaretur guta uini in †seccana†, iam non esset mistio, sed 110  
 generatio sine frigido, ergo impossibile est ultra decimum sextum duplicare.

Ad argumentum dicendum quod gradus non distinguuntur per  
 combinationem extremorum in qualitibus, nisi secundum quod faciunt  
 impressionem sensibilem in corpore humano, et quia impressio illa aut est sub  
 complexione aut equalis aut excedens aut corrupens, propter hoc sunt quattuor 115  
 gradus et non plures.

Ad secundum dicendum quod sicut dictum est, medicus distinguit gradus  
 effectiue quantum ad effectum quem inducunt. Sed gramaticus diuidit gradus  
 informatiue, et quia informatiue res est in principio aut in medio aut in fine,  
 gramaticus posuit tres gradus: positium, comparatiuum et superlatiuum, medicus 120  
 uero quattuor de causa. Per hoc patet solutio ad tertium. Nam principium, medium,  
 finis gradus non possunt sensibilibiter distingui per effectum, unde dicit Galenus  
 quod perciperet tres status. In uno gradu indiget dyalectica cum de ratione, id est,  
 solum percipitur ab intellectu et non a sensu, quia ergo gradus in partes subiectiuas

99. corumperet *M*; 100. habire *M*

101. un *M*: unde *add.*

109. frigido *M*; calido *add.*

111. generato *M*

117. dicit *expunctuatum*

125 et formales diuiditur, effectiue habet quattuor partes subiectiuas, secundum quod dictum est primum, secundum, tertium et quartum. Sed in partes integrales diuiditur informatiue, et propter hoc solum habet tres partes principium, medium et finem.

/276ub/ 3. Circa tertium primo queritur utrum elementa sint in gradu.

130 Secundo utrum mixtum sit in gradu.

Tertium quibus magis conuenit temperamentum post hominem, utrum animalibus, mistis aut terre nascentibus.

Circa primum queritur primo utrum elementa sint in gradu.

Secundo utrum secundum qualitates passiuas, sicut secundum actiuas.

135 Tertium utrum secunde ponatur qualitates ponantur in gradu sicut prime.

Circa primum sic dicit Auicenna: quod omnia frigida in quarto sunt uenena, sed nullum elementum est uenenum, ergo nullum elementum est in quarto uel est in quarto uel excedit, ergo quodlibet excedit omnem gradum.

Propterea dicit Galenus quod qualitates in elementis sunt ultimate, in  
140 elementatis fracte, ergo si elementum excedit compressione elementati et est ponere elementatum in quarto gradu, ergo omne elementum excedit quartum.

Contra illud dicitur esse in quarto gradu quod corrumpit naturam humanam, sed elementa corrumpunt naturam humanam, sicut complexionata in quarto gradu, ignis enim calefacit sicut piper et plus, ergo elementa sunt in quarto gradu.

145 Circa secundum huius sic dicit Auicenna: quod calidum et frigidum agunt per se, siccum per accidens, humidum ponatur res in gradu, qualitates passiuę elementorum non sunt in gradu.

Propterea dicit Auicenna quod qualitates passiuę non sunt ut per eas corpus aliquid agat, sed ut per eas recipiat.

150 Contra, mistio est miscibilium alteratorum unio sicut scribitur in libro *De generatione*, sed non possunt miscibilia alterari nisi humidum ageret in siccum et e contrario, ergo passiuę qualitates agunt et ponuntur in gradu sicut actiuę.

---

142 corumpit *M*; 143 corumpunt *M*

Ad primum istorum dicendum quod aliquid est in gradu informatiue tantum. Et hoc modo dicit Ysaac quod humana complexio est calida et humida in secundo gradu scilicet informatiue et non effectiue, quia non imprimit et aliquid dicitur esse 155 in gradu effectiue solum. Et hoc modo dicit Galenus in *Tegni* quod calidum in quarto gradu debemus reducere per frigidum in eodem gradu et non informatiue, quia non debemus exhibere ipsum nisi in articulo desperationis sed effectiue, ut per continuam administrationem frigidi in secundo ut redducatur illa distrahia.

Aliqua ponuntur in gradu informatiue et effectiue sicut piper calidum est in 160 quarto effectiue et informatiue. Dico ergo quod elementa informatiue non sunt in gradu, hec excedunt omnem gradum, sed effectiue sunt in quarto quia corrumpunt corpus nostrum sicut complexionata in quarto. Per hoc patet solutio ad argumenta. Dico enim ad primum quod elementa non sunt uenena, hoc est ratione subtilis substantie. 165

Ad secundum dicendum quod informata complexio elementi excedit complexionem elementati tamen effectiue utraque reponitur in quarto gradu quia utraque corrumpit sensum.

Ad secundum quesitum dicendum quod calidum et frigidum per se agunt et ponuntur in gradu. Deinde siccum, humidum uero per accidens, id est, quantum ad 170 actus primos et secundos sunt uero per accidens solum, id est, quantum ad actum secundum, tamen quantum ad primum actum qui est desiccare non imprimit dolorem. Sed quantum ad secundum qui sequitur scilicet partes contrahere et coartare humidum autem nec quantum ad primum actum nec quantum ad secundum agit, et ideo dicit Auicenna quod nec per se nec per accidens. 175

Sed dico quod humidum agit ratione, quia qualitas est ualde materialis sicut patet. Si aliquid effundatur in scutella, aqua imprimit omni ratione materie.

Ad tertium quesitum dicendum quod qualitates secunde non sunt in gradu, quia non agunt nec paciuntur nisi per primas sicut dicit Aueroy.

---

168. corumpit *M*; 172. secundas *M*

170. quam *M*; 172. quam *M*; 173. quam *M*

174. ad *M*; 176. quod *M*

180           4. Circa secundum sic: quicquid dicitur tale, in medicina dicitur per  
comparationem ad corpus humanum, ergo cum complexio humana sit elementata in  
secundo gradu, nulla medicina erit temperata.

Contrarium dicunt auctores quod quedam medicine sunt temperate sicut  
†casiastistula†, manna, aurum et huiusmodi.

185           Contra tertium sic quicquid dicitur temperatum, hoc est per comparisonem  
ad complexionem humanam. Ergo cum animalia plus uicinentur complexioni  
humane quam terre nascencia et terre nascencia quam mista, temperatum plus  
reperietur in animalibus quam in terre nascentibus, et in hiis quam in mistis.

Sapor est sequela communis, unde dicit Ysaac quod sapor firmat suam  
190 speciem, ergo per saporem distinguitur excessus complexionis. Illa corpora que  
minime sunt saporata maxime recedunt aliquod sui complexionis, huiusmodi  
autem sunt mista, ergo mista inter omnia animalia sunt temperata.

Ad primum dicendum quod aliquae sunt medicine que non sunt in gradu sed  
sunt temperate.

195           Ad argumentum dicendum est quod medicine non dicuntur temperate, quia  
habent temperamentum informatiue, sed quia applicare corpori humano non  
deserunt nec desicant nec infrigidant nec humidum sensibiliter, sed conseruant  
ipsum in temperamento, et propter hoc dicuntur temperate.

Ad aliud dicendum quod temperamentum /277ra/ prius inuariatur in  
200 animalibus, demum in terre nascentibus, ultimo in mistis propter rationem dictam.

Ad rationem autem contrarium dicendum quod sapor est sequela  
complexionis, unde sapor temperatus sicut dicitur, concedo, atestatur complexioni  
temperate sicut patet in zucero, tu autem obicis ac si priuatio saporis penetraret  
temperamentum et propter hoc tu non obicis. Dico autem quod in mistis, ut in  
205 lapidibus et metalis, non est sapor uel odor propter duriem substantie, quia nichil  
ex eis potest resolui in minima, et per resolutionem uaporis fit sapor et odor.

---

203. saporis *M*

## **Questio secunda**

### ***Diximus de collo et ysofago et cetera.***

Circa XIII adhuc restant quedam querenda.

Queritur de processu in causis.

Secundo de generatione humorum.

5

Tertio de nutrimento sanguinis.

1. Et queritur de ordinem quia in secundo libro et tertio prius ponit anathomiam et physonimiam in membris exterioribus et prius in officialibus quam in consimilibus narrando, e contrario autem procedit in hoc assignando causas, et queritur unde hoc.

10

Item queritur quare non reddit causas in physonomia sicut in anathomia, cum in numerando determinet de physonomia sicut de anathomia.

Ad primum dicitur sic: quod anathomia magis est sensibilis in membris exterioribus quam interioribus, et officialibus quam consimilibus, et propter hoc in numerando prius determinat in partibus exterioribus, sed hic procedit causas assignando et quia a membris interioribus procedunt uel causatur exteriora, prius reddit causas in membris interioribus quam exterioribus.

Per hoc patet solutio ad secundum. Nam quia in numerando incipiebat a partibus magis sensibilibus, physonomia autem solum in partibus exterioribus est, propter hoc in narrando determinauit de physonomia, sed in causas assignando non, quia causas assignat principaliter in membris interioribus.

Secunda causa est quia physonomia solum est in homine. Hec autem reddit causas de naturis animalium, propter hoc non reddit causas de physonomia.

---

1. questio prima *mg.*

Tercia causa est quia cause in physonomia non inducunt super suum  
25 effectum. Mores enim naturales possunt permutari per legem, per disciplinam et  
per coniunctum, sic dicit Haly.

2. Circa secundum queritur primo utrum prima digestio incipiat in ore.

Secundo utrum quelibet digestio transmitet speciem.

Circa primum sic dicit Haly quod idem membrum numero non agit in  
30 diuersis operationibus, ergo cum hos agrauat operationi uitali in anelando et etiam  
in loquendo, manifestum est quod non conuenit in operatione naturali, sed digestio  
est operatio naturalis, ergo prima digestio non incipit in ore.

Contrarium dicit Auicenna quod prima digestio incipit in ore et terminatur  
in intestinis.

35 Propterea dicit Auicenna quod frumentum masticatum maturat a planta, sed  
si alio modo teratur, non maturat, ergo ex quo habet uirtutem digerendi et  
maturandi a planta, frumentum masticatum aliquam digestionem recipit in ore.  
Ergo prima digestio incipit in hore.

Propterea dicit philosophus in libro *De anima* quod homo est arbor  
40 transuersa, unde terra idem facit in plantis quod os in animalibus. Sed prima  
digestio in plantis incipit in terra, sicut dicit philosophus in hoc duodecimo, ergo  
prima digestio animalium incipit in hore.

Propterea ratio Auicenne hec est, eadem est tunica que choperit os in parte  
inferiori et tunica in parte interiori stomachi, cuius signum est sicut dicit Auicenna  
45 quod excitatio labii inferioris est signum uomitus, ergo cum per tunicam inferiorem  
digerat stomachos, prima digestio in ore incipit.

Ad hoc dicendum quod idem membrum secundum eandem partem non est  
principium diuersorum operationum et sic loquitur Haly, sed secundum diuersas  
partes potest esse principium diuersarum operationum, ut stomachos secundum  
50 uillos longitudinales est principium in atrahendo, secundum latitudinales est

---

27. homine *M*; ore *add.*

32. homine *M*; ore *add.*

34. stomacho *expunctuatum*; 45. citatio *M*

principium in expellendo, similiter os ratione palati et partis superioris est principium operationis animalis, ratione trachee, arterie uitalis, ratione ysophagi, naturalis.

Ad secundum dicendum quod appetitiua radicaliter est in stomacho et similiter digestiua, sed respectu accidentaliter et appetitiua et digestiua incipit in hore. Sed utraque istarum uenit a stomacho tamquam a radice. 55

3. Contra secundum huius sic dicit philosophus in hoc libro: quod idem facit terra in arboribus quod stomachos in animalibus. Sed terra in qua est prima digestio plantarum, non transmitat speciem, ergo similiter in animalibus prima digestio non transmitat speciem. 60

Propterea dicit Constantinus in libro *De stomacho* quod stomachos de se nullam habet caliditatem, sed per caliditatem uiget digestio, ergo prima digestio non transmitat speciem.

Contra scribitur in quarto *Methaphisicorum* quod digestio est ex compresso, ex naturali calore et proprio ex contrarietatibus passionibus, contrarietates passibiles appellantur qualitates passiuæ scilicet humidum et siccum, ergo in qualibet digestionem est complexio quare quelibet digestio dat nouam formam et corrumpit aliam, ergo quelibet digestio transmitat speciem. Quod concedo, semper enim prima digestio transmitat speciem sicut stomachos in statu naturali et materia fit in debita quantitate et obediens, quia quando stomachos est in statu naturali ut in /277rb/ disenteriam non oportet speciem transmutare. Similiter si in nimia quantitate ut ebrii qui minus potant, mingunt uinum intransmutatum secundum speciem, similiter quando materia est inobediens ut si comedunt lapides uel metalla nullam transmutationem recipiunt in stomacho, sicut patet in ¶nucleiis ceresorum¶ que quando integra comeduntur egeruntur non transmutata, sed stomachos in debito statu cum nutrimento moderato et ¶etiam¶ obediens transmutat speciem, et hoc 75

---

59. arboribus *expunctatum*

64. compressio *M*

65. contrarietentibus *M*; passionibus

72. mingunt *M*



probo sicut dicit Auicenna quod complexio est una in speciem, sed qualibet digestio transmutat complexionem, ergo qualibet digestio transmutat speciem.

Ad primum in contrarium dicendum quod non est simile, nam stomachos  
80 est pars animalis, sed terra non est pars plante. Vnde licet terra non transmutet  
speciem, stomachos autem transmutat. Vnde quod dicit philosophus quod idem  
facit stomachos in animalibus quod terra in plantis. Vnde est quantum ad hoc quod  
sicut in stomacho retinetur cibus, ex quo nutritur corpus totum, sic in uisceribus  
terre retinetur nutrimentum e quo nutritur planta, non tamen oportet quod  
85 transmutet eum secundum speciem sicut stomachos.

Ad secundum dicendum quod stomachos ratione sue materie non habet  
calorem cum sit frigidus et siccus, et sic loquitur Constantinus de questione  
formali, in quantum est uiuens, habet calorem quia alio modo non esset principium  
digestionis, sed uiuatur a calore epatis et cordis.

90 Iusta hoc queritur quare homo unam digestionem non addit super animal  
sicut animal addit unam digestionem super plantam, cum homo sit nobilior et  
perfectior animali sicut animal planta.

Item queritur de contrarietate inter Auicennam et alios auctores, nam  
Auicenna ponit quattuor, alii autem tres solum.

95 Postea queritur quare secunda digestiua fit per dua media scilicet in epate et  
in uenis et similiter prima. Nam dicit Auicenna quod chylus †in mes...† antequam  
subiteret, epar est sicut latera carnis. Tertia digestiua completur in unico membro,  
unde quodlibet membrum facit ros cambium et glutinum, e quo autem est a parte  
clibani. Nam procedit digestiua tertia per quattuor media. Primo enim ex sanguine  
100 generatur quedam humiditas, que est materialis ad alias humiditates. Deinde  
generatur ros, postea cambium, deinde glutinum quod asimilatur carni uel ossi. Sed  
prima et secunda a parte obiecti solum procedunt per unum medium, est ergo  
questio quare prima digestio et secunda habet plura membra media in digerendo.

---

85. sic *M*

90. aliam *expunctuatum*; animal *mg.*

95. duo *M*

Tertia non a parte obiecti est e contrario, nam tertia habet quattuor obiecta media scilicet humiditatem materialem ad alias, ros, cambium, glutinum. Sed prima solum 105  
habet chilum et secunda chimum.

Queritur etiam quare prima digestio et tertia dealbant, secunda autem digestio generat diuersos colores scilicet album, citrinum et rubeum et nigrum, secundum quod sunt quattuor humores, hoc totum uideatur rubeum propter habundanciam sanguinis. 110

Ad primum istorum dicendum quod animal addit unam digestionem super planta, quia in plantis non requiritur prima digestio. Plante enim multum uicinantur animalis. Vnde uult Ysaac quod nutriantur ex elementis et propter hoc ex sicco terreno et humido aquoso. Animal autem distat ab elementis et est nobilioris compositionis quam planta, ideo requirit prima digestionem. Sed homo super animal 115  
non addit nisi intellectum. Intellectus autem uenit ab extrinseco nec est principium digestionis, propter hoc homo non addit digestionem super animal, sed solum complexionem nam nobilior et completior est digestio in homine quam in aliis animalibus.

Ad secundum dicendum quod digestio uno modo consideratur, stricte 120  
loquendo secundum quod quelibet digestio transmutat speciem et sic ponunt auctores quod solum tres digestionem sunt, quia in uenis non, extra speciem sanguinis, et propter hoc digestio in uenis non computatur ab auctoribus. Sed Auicenna loquitur large de quibus transmutationibus et quia in uenis sanguis ingrossatur, ponit Auicenna quod tertia digestio fit in uenis. 125

Ad tertium dicendum quod stomachos et epar digerunt propter se et propter totum corpus, et propter hoc secunda digestiua et prima fiunt per plura membra ut prima in stomacho et mesaraicis. Secunda in epate et uenis, sed tertia per unicum membrum quia quodlibet membrum tercię digestiue digerit propter se, a parte autem obiecti est e contrario. Nam prima et secunda solum transmutant et non 130

---

113. hoc *add.*; 118. complexionem *M*

124. transmutationem *M*

128. epatis *M*; 129. digerunt *M*

conuertunt. Sed tertia asimilat et uertit. Nutricio est perfecta asimilatio nutrientis nutrito. Et propter hoc oportuit quod in tertia digestiua obiectum plures alteratur, donec perfecte asimiletur. Et propter hoc fuerunt plura media in tertia digestiua a parte obiecti. In prima et secunda non que solum transmutant et non conuertunt nec  
135 asimilant.

Propterea calor in membris tertie digestiue est paucus non simul et semel non possunt sanguinem conuertere sed per plura media ita quod primo generatur ros, deinde cambium, postea glutem et tunc fit asimilatio nutrientis cum nutrito.

Ad quartum dicendum quod prima digestio materialis est ad alias, et propter  
140 hoc in prima digestionem est color materialis ad alias colores scilicet albedo uel ¶paruitas¶, unde non est ibi albedo, est ¶ex...raum¶ nigredinis. Sed in tertia est albedo que est /277ua/ habitus respectu nigredinis quia tertia digestio est complementum et habitus respectu aliarum et etiam finis.

Secunda autem digestio generat quattuor colores: album in flegmate,  
145 nigrum in melancholia, citrinum in colera, rubeum in sanguine. Et hoc quia quodlibet nutrimentum compositum est ex quattuor elementis et ratione aeris generatur sanguinis, a parte ignis colera, a parte terre melancholia, a parte aque flegma.

4. Circa tertium sic queritur primo quis sanguis melius nutriat utrum grossus  
150 uel subtilis.

Secundo quis cicius conuertatur.

Circa primum sic dicit philosophus in quarto *Methaurorum*: quod necesse est digestiua esse grossiora et calidiora, sed digesta melius nutriunt quam non digestiua, ergo sanguis grossus melius nutrit quam subtilis.

155 Propterea hoc dicit philosophus in hoc duodecimo.

Propterea dicit philosophus prius quod sperma grossum magis est aptum ad generationem quam subtile, sed eadem sunt principia generationis et

---

132. pluries *M*

140. d- *expunctatum*

147. apertit *M*; a parte *add.*

conseruationis, ergo similiter per sanguinem grossum melius conseruatur corpus et nutritur quam per subtilem.

Contrarium dicit Ysaac quod cibaria subtilia que generant sanguinem 160 subtilem sicut galine melius nutriunt.

Circa secundum huius sic: quanto aliquid magis accedit ad finem digestionis tanto cicius conuertitur. Sed hic est grossus sanguis respectu subtilis, quia tertia digestio sita peruadit ingrossando, ergo grossus sanguis cicius conuertitur. 165

Propterea habentibus simbolum facilius est transitus cum membris solidis quam subtilis, ergo grossus sanguis cicius conuertitur.

Contrarium autem dicit Ysaac quod sanguis subtilis cicius conuertitur.

Propterea digestio agit in rem per minima, sed sanguis subtilis facilius diuiditur per minima quam grossus, ergo sanguis subtilis cicius conuertitur quam 170 grossus.

Ad hoc dicendum quod duplex est nutrire, aut naturaliter aut accidentaliter. Sanguis autem potest esse grossus aut gratia materie, quia generatur a grossa materia ut sanguis qui generatur ex carne bouina, subtilis autem generatur ex carne gallinacea. Dico ergo hoc modo loquendo de sanguine, naturaliter plus nutrit 175 sanguis subtilis, quia cicius conuertitur in membra. Accidentaliter autem plus nutrit sanguis grossus, quia plus moratur in membris.

Autem sanguis est grossus per digestionem secundum quod digestio uadit ingrossando, et secundum hoc dicit philosophus in quarto *Methaurorum* quod necesse est digestiua esse grossiora et calidiora. Et hoc modo loquendo de 180 sanguine, sanguis grossus est plus et melius nutrit et cicius conuertitur quam subtilis, quia est magis digestus. Per hoc patet solutio ad argumenta.

---

176. uerbi *expunctuatum*

Et nota quod digestio incipit in hore inter dentes, unde aues quia non habent  
dentes, habent popam in qua digeritur cibum sicut in aliis animalibus digeritur et  
185 conuertitur inter dentes.

---

184. stomachum *M*; cibum *add.*

### **Questio tertia**

#### ***Sequitur de uenis scilicet de uena magna et aborti.***

Hic restat querere de sanguine et primo utrum sanguis nutriat quia dulcis.

Et quare dulcis sapor plus nutrit quam alius sapor.

Secundo quis humor magis nutriat.

5

Tertio utrum sanguis uel alius humor plus aferat ad uirtutem animalem et quis sanguis utrum grossus uel subtilis.

1. Circa primum sic: nutrimentum est obiectum uirtutis naturalis, sed uirtus naturalis non discernit inter dulce et amarum.

Propterea sapor dulcis est in calido et sicco ut in melle. Sed nutrimentum est temperatum, ergo nutrimentum ratione saporis nutrit.

10

Propterea esuries est appetitus calidi et sicci. Sed sapor amarus radicatur in calido et sicco, ergo sapor amarus plus nutrit quam sapor dulcis.

Contrarium autem dicit philosophus in *De sensu et sensato* quod solum dulce nutrit, et Galenus quod solus sanguis nutrit, quia solus sanguis est dulcis. Et Ysaac in *Dietis uniuersalibus* dicit quod quicquid nutrit, nutrit ratione dulcedinis.

15

Iusta hoc queritur quare sapor dulcis plus est in mistis siue in terre nascentibus ut in zucero, manna, †casiastula† et huiusmodi quam in animalibus.

Et quare odor aromaticus distincte non est in animalibus in homine uel animalibus sicut terre nascentibus.

20

Ad primum dicendum quod dulcis sapor principaliter nutrit. Vna causa est quia sicut dicit Ysaac, puta dulcedo, sicut in zucero, est in temperamento complexionis.

---

1. questio tertia *mg.*

Secunda causa est quia uita stat et conseruatur per calidum et humidum, et  
25 dulcis sapor radicatur in calido et humido.

Ad primum contrarium dicendum quod uirtus naturalis non decernit dulce,  
quia dulce sed quia ut conueniens et amarum tamquam inconueniens, †per hoc  
iam† dico patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum quod esuries est appetitus cibi calidi et sicci, unde est  
30 respectu cibi extra, sed cibus cibans in effecta est calidus et humidus uel dicamus  
quod esuries est appetitus calidi et sicci, unde est quia appetitus non necesse est  
calidum et siccum esse.

Ad aliud dicendum quod in homine sunt quattuor humores in animali  
similiter diuersorum saporum et quia animalia immediacius ordinantur ad  
35 nutrimentum hominis quam terrena nascentia oportuit quod essent confusa in  
saporibus ut ex ipsis possint generari diuersi saporis in humoribus, et ideo in  
animalibus non fuit sapor distinctus sicut in terre nascentibus. Secunda causa est  
quia quedam sunt membra in homine flegmatica, quedam /277**ub**/ melancolica. Sed  
dulcis sapor radicatur in calido et humido solum et ideo dulcis sapor non potest  
40 esse in animalibus, quia immediate ordinatur ad nutrimentum hominis, quia  
oportebat ex nutrimento membra diuersorum complexionum nutriri. Et hoc  
repugnat saporis dulci quia solus est calidus et humidus.

Ad aliud dicendum quod ad priuationem organi sequitur priuatio obiecti,  
unde omnis mutus naturaliter surdus, et quia homo est pessimi nutrimenti odoratus,  
45 ideo nullus odor distinctus est in membris hominis, sed sapor est ibi quia sapor  
immediatius ordinatur ad nutrimentum quam odor.

Secunda causa est quia odor radicatur in calido et sicco, et ideo, quia in  
homine maxime in aliis animalibus multum est de humiditate, non potest ibi esse  
odor distinctus, sed sapor potuit quia sapor radicatur in humido.

---

33. h *expunctuata*

34. saporum -b- *expunctua*; 35. scientia *M*; nascentia *add.*

†... .. utiles facti sumus† *in inferiori margine alia manu*

† In ... def... naturarum non est ex...† *in superiori margine alia manu*

2. Circa secundum huius sic: dulcis sapor inter omnes maxime nutrit, ergo 50  
humor amari saporis scilicet colera minime nutrit inter omnes.

Propterea dicit Auicenna quod cibus patitur et non agit, sed melancholia agit, ergo ille humor qui maxime est actiuus, minime nutrit. Sed hec est colera, que est calida, inter omnes alios humores minime nutrit.

Contra uita stat per calidum et humidum, ergo humor frigidus et siccus 55  
maxime uite et eius conseruationi, huiusmodi autem est humor melancolicus, ergo huiusmodi minime nutrit inter alios.

Iusta hoc queritur quare melancholia excitat appetitum et debilitat digestionem.

Et quare sanguis cum flegmate continetur inter uenas et colera autem et 60  
melancholia intra et extra.

Et quare colera et melancholia quedam est iuuatiua, quedam est neccessaria. Sed omnis flegma et sanguis est necessarius.

Ad primum dicendum quod melancholia inter omnes humores minime nutrit postea colera magis, plus flegma et maxime sanguis. 65

Ad primum in contrarium dicendum quod complexio immediatius operatur ad nutrimentum quam sapor, et ideo licet plus opponatur sapor dulci quam melancholia, tamen quia melancholia est frigida et sicca, repugnat principium uite, minime nutrit inter omnes. Propter hoc patet solutio ad secundum.

Ad aliud dicendum quod melancholia excitat appetitum, quia inanit 70  
stomacum, debilitat digestionem quia digestio uiget per calidum et humidum et melancholia est frigida et sicca.

Ad aliud dicendum quod sanguis in uenis quia utraque qualitas sanguinis mouet a centro ad circumferentia et ideo indiget receptaculo.

---

55-59. †...et in pricipium sunt cor et spiritus que ambo elementa calida existunt ad superfluitatem de...mana et uita ... existit ad caliditatem, et augmentum per humiditatem, et caliditas humeditate existit et ... ad nutritionem † *in inferiori margine alia manu*

73. sanguis *M*



75           Secunda causa: est sua quantitas in duplo respectu flegmatis et flegma respectu colere et colera respectu melancolie.

          Ad aliud dicendum quod colera, flegma est sanguis imperfecte coitus, et sanguis est flegma perfecte coitus. Sed utraque colera generatur per excessum decoctionis et quia, sicut dicit Constantinus, crudum potest decoqui, coctum autem  
80 non potest incrudari, flegma et sanguis neccessaria sunt ad nutrimentum. Sed utraque colera quedam neccessaria ad nutriendum membra colerica et melancolica, quedam iuuatiua colera nigra ad confortandum appetitum in stomaco et colera rubea ad confortandum expulsiuam in intestinis.

**3.** Circa tertium sic scribitur in secundo *De anima* eadem est natura medii  
85 organi et obiecti, sed cerebrum quod est organum uirtutis animalis, est flegmaticum, sed nerui qui sunt medium in uirtute animali, sunt flegmatici. Sicut dicit Galenus quod neruus est flegma coagulatum, ergo humor flegmaticus maxime iuuat uirtutem animalem.

          Propterea dicit philosophus quod animalia carentia sanguine sunt ualde  
90 astuta ut apes, aranea et formica, ergo priuatio sanguinis priuat bonitatem humorum.

          Contrarium dicit philosophus. Propterea quero quis sanguinis plus iuuat.

          Ad hoc dicendum quod sanguis radicaliter plus ualet ad uirtutem animalem quam alii humores, quia ex subtiliori parte sanguinis generantur spiritus in corde  
95 qui uenientes ad primam partem cerebri in rete mirabili fiunt animales sicut dicit Haly, et mediante spiritu operatur uirtus animalis quia spiritus sunt latores uirtutum.

          Ad primum in contrarium dicendum quod quantum ad compositionem organi plus iuuat flegma quam sanguis et sanguis grossus quam subtilis. Sed  
100 quantum ad medium in uirtute qui est, spiritus plus sanguis quam alii humores et plus sanguis subtilis quia ex puriori et subtiliori sanguine generatur spiritus.

---

81. appetitum in stomaco et colera rubea ad confortandum *expunctuatum*  
93-97. Spiritus est instrumentum uite †membris ... † *mg. alia manu*

Ad secundum dicendum quod animalia carentia sanguine sunt astuta propter defectum, quia enim erant debilis uirtutis, non possent habere nutrimentum nisi aquirerent per aliquam artem, et ideo sunt astuta et non propter bonitatem complexionis sicut animal melancolicum omnia timet, et ideo ab omnibus precauit 105 et fit astutum per accidens.

Vel dicamus secundum philosophum quod licet hec animalia non habeant sanguinem, habent tamen quamdam humiditatem claram per uiam loco sanguinis.

### Questio quarta

/278ra/ *Post parietem est uenter in corporibus quorundam animalium et cetera.*

Circa XIII restat querere de membris liquidis.

Et primo queritur de zirbo et pinguedine, utrum sit ab operatione uirtutis  
5 digestiue secunde uel tercię.

Secundo utrum a calido uel frigido.

Tercio queritur de complexione.

Quarto utrum pinguedo sit calidior quam sanguis uel e contrario.

1. Circa primum sic dicit Ysaac quod tercię digestiua ex non membro facit  
10 membrum, sed pinguedo est circa stomachum et intestina ut confortet digestiuam,  
ergo cum pinguedo sit in regione prime digestiue, est ex operatione prime digestiue  
et non tercię.

Propterea digestio procedit distingendo, unde ex ista portione nutrimenti  
generatur manus, ex illa oculus. Sed generatio pinguedinis est adunando et  
15 confortando et non distingendo, ergo non est ex operatione tercię digestiue.

Contra dicit philosophus quod ex sanguine ulterius digestio generatur quam  
pinguedo, sed sanguis est finis secunde digestiue. Igitur cum pinguedo sit ultra  
sanguinem, generatur ex operatione tercię digestiue et non prime.

Propterea tercię digestio dealbat, sed pinguedo est alba, ergo est ex  
20 operatione tercię digestiue, quod concedo.

Ad primum in contrarium dicendum quod tercię digestiua aut est in sensu  
termino aut in sensu principio. In sui termino assimilatur et facit ex non membro

---

1. questio quarta *mg.*; 2. parturientem *M*; parietem *add.*; uentus *M*; 3. duodecimum *lituratum*  
16. quam *add.*

membrum et sic loquitur Ysaac, tunc procedit distinguendo. Sed tertia digestio in sui principio generat humiditates et pinguedinem, quia pinguedo est in proprinqua dispositione ad hoc quod conuertatur. Per hoc patet solutio ad tertium. 25

Ad secundum dicendum quod pinguedo est calida et humida, et ideo quia stomachos est quedam pellis tenuis et non habet calorem a se, fuit enim conuolutus pinguedine ad confortandum digestiuam. Illa tamen pinguedo generatur ex operatione tertie digestiue.

2. Circa secundum sic: que disoluuntur a calido, coagulantur a frigido, 30 pinguedo soluitur a calido, ergo coagulatur a frigido, quare eius generatio est a frigido et non a calido.

Propterea dicit Ysaac quod pinguedo generatur a frigiditate.

Contra ex sanguine unctuosus ex operatione tercię digestiue generatur, sed tertia digestiua operatur per calidum et humidum, ergo a calido generatur pinguedo. 35

3. Circa tertium sic pinguedo: sicut dicit Ysaac, generatur a frigido, ergo ibi est facta.

Contra cito conuertitur ad ignem, ergo est calida.

Ad hoc dicendum quod omnis pinguedo generatur a calido, et quod dicit Ysaac quod generatur a frigido, glosandum est a calido remisso. Sed quedam est 40 pinguedo que generatur ex debilitate uirtutis, et hec est in mulieribus et porcis et hec est magis frigida. Quedam est que generatur ex fortitudine ut quando uirtus est ita fortis quod plus digerit de nutrimento quam requirant membra. Ex residuo generatur pinguedo et inde facit thesaurum, ut in tempore neccessitatis conuertat illam pinguedinem in membra, et hec est magis calida, sed generaliter omnis 45 pinguedo est calida, quia omnis pinguedo est maturatiua.

4. Circa quartum sic: pinguedo cicius inflamatur quam sanguis, ergo calidior est quam sanguis.

---

23. distiguendo *M*

38. circa tertium sic pinguedo *expunctuatum*

44. pinguedine *M*

Contra, Galenus dicit quod lac est frigidius quam sanguis, et hoc est quia  
50 generatur in membro magis frigido, sed pinguedo generatur in loco frigidiori quam  
sanguis, ergo pinguedo est frigidior. Quod concedo, et quia sanguis generatur in  
radice uirtutis naturalis scilicet in epate, et recipit in flegmaticam a corde per  
uenam magnam.

Ad argumentum autem in contrarium dicendum quod sanguis habet plus de  
55 insipiditate actuali quam pinguedo, et ideo tardius inflamatur licet sit calidius.

Iusta hoc queritur quare pinguedo plus est in regimine naturali quam uitali  
uel animali.

Et quare magis est in parte sensitua quam motiua.

Et quare ad magnitudinem splenis sequitur diminutio pinguedinis et e  
60 contrario.

Et quare etiam pinguedo in auibus est citrina, in homine autem et porco est  
alba.

Et quare in ruminantibus cirbus et potest puluerizari, in non ruminantibus  
autem est pinguedo que non potest puluerizari.

65 Et quare omne pingue supernatat.

Et quare sepum et cera liquefactum supernatat, non liquefactum petit  
fundum.

Ad primum istorum dicendum quod pinguedo est calida et humida. Virtus  
animalis uiget perfectum et humidum, et ideo in regimine animali non habundat  
70 pinguedo, nec regimine uitali, quia uiget per calidum et siccum nimium per que  
disolueretur pinguedo, sed sunt in regimine naturali que sibi similis est. Nam uirtus  
naturalis operatur per calidum et humidum.

Ad aliud dicendum quod uirtutis sensitue est pati, pinguedo autem est  
passibilis et disponit in paciendo, sed uirtus motiua est actiua.

---

50. in *expunctuatum*; 57. ad *expunctuatum*; plu- *lituratum*

58. *matiua M*

62. *albi M*

69. *animalis M; habundatis M*

Ad aliud dicendum quod specialiter est frigidum, siccum et contrariatur 75  
omni pinguedini que est calida et humida, ideo ad magnitudinem splenis sequitur  
diminutio pinguedinis et e contrario.

Ad aliud dicendum quod aues sunt calide et sicce, sed sic est quod calidum  
debile humidum dealbat, sicut patet in homine, in porco ubi multa est humiditas  
que hebetat calorem, sed in quibus est calor cum siccitate, et ideo habent 80  
pinguedinem citrinam et similiter boues, nam quod boues sunt frigidi. Hic sunt de  
complexione materiali in quantum nutriunt corpus humanum, sed formaliter  
multum /278rb/ habent de calore cum sint animalia magna, et non habent  
humiditatem impediendam, quia sunt sicce complexionis.

Ad aliud dicendum quod ruminantia uiuunt ex impuriori nutrimento et 85  
magis terrestri, et ideo eorum pinguedo magis est grossa in digestiua et  
puluerizabilis magis, quia sicut dicit philosophus tres sunt species terre: puluis,  
†carnis† et arena.

Ad aliud dicendum quod sicut dicit philosophus simile atrahit suum simile,  
et ideo omne pingue, quia est aeree nature supernatat. Secunda causa est uiscositas. 90

Ad aliud dicendum quod quando sepum et cera liquefit, est magis subtile et  
extenditur in superficie, et ideo supernatat. Sed quando non est liquefactum est  
magis ponderosum et non facit tantam superficiem et ideo petit fundum.

Et nota quod in quibusdam corporibus est aer per subintractionem ut in  
ligno, subintrat enim poros ligni et ideo lignum supernatat et non plumbum, quia in 95  
plumbo non sunt pori per quos possit penetrare aer.

5. Queritur etiam quare tertia digestiua in obiectum operatur continue,  
prima autem et secunda non.

Quare ex chilo immediate et sine mora fit chimus, sed sanguis in uenis diu  
moratur antequam conuertatur. 100

Et quare in uentre paruo plus generatur pinguedo quam in magno.

---

81. est *M*; sunt *add.*

89. similiter *M*

98. et *mg.*

Ad primum istorum dicendum quod omnes digestiue finaliter sunt propter terciam. Tertia autem digestio restaurat deperditum et ideo sint continue deperditur, ita continue agit reparando non sic autem est de aliis digestionibus.

105 Ad aliud dicendum quod radix uirtutis naturalis est in epate et non in stomacho, et ideo sanguis generatur in epate et inter sua receptacula in quibus diu seruatur scilicet uenas, stomachos enim non habet calorem nisi in epate sicut dicit Constantinus.

110 Ad aliud dicendum quod in uentre paruo est calor magis fortis et est magis †interior† quam in magno, et ideo magis uel plus generatur de pinguedine in paruo quam in magno, quia, sicut dicit philosophus in libro *De causis*, omnis uirtus unita forcior est se ipsi multiplicata.

---

107. stomachos non *M*

109. uene *M*; uentre *add.*

## LIBER XIV

**Quidam habent principium huius XIV libri hic.**

***Secundum ergo hunc modum est dispositio intestinorum et cetera.***

**Questio prima**

***Diximus dispositionem animalis habentis sanguinem et cetera.***

Circa quartum decimum generaliter requiruntur duo.

5

Primum est de medulla.

Secundum est de origine quinque sensuum particularium et eorum operationibus.

**1.** Circa primum tria principaliter requiruntur.

Primum est de medulla a parte sue complexionis.

10

Secundum est a parte sue originis.

Tertium a parte sue generationis.

Circa primum sic dicit Galenus omne quod deceditur ab aliquo atestatur illi a quo deceditur. Sed medula fluit ab osse quando generatur ex residuo nutrimenti ossis, cum huiusmodi os sit frigidum et siccum, ergo et medula erit frigida et sicca.

15

---

1-2. quidam habent principium huius XIV libri hic. Secundum ergo hunc modum est dispositio intestinorum et cetera *mg.*; 3. Questio prima *mg.*  
7. sensus *M*; 9. requiruntur *M*



Propterea dicit Auicenna quod complexio est uia in speciem, ergo cum ossa nutriantur ex melancolia et fiat inde species ossis, medula erit talis complexionis qualis os, ergo erit frigida et sicca sicut os.

In contrarium est philosophus et medicus dicentes quod est calida et  
20 humida.

Propterea dicit philosophus quod medula est similis zirbo in ruminantibus, pinguedini in non ruminantibus. Sed zirbus et pinguedo calida est et humida, ergo medula est calida et humida.

Propterea dicit philosophus quod natura ordinat semper suum contrarium ad  
25 reprimendum suum sicut cerebrum ad reprimendum calorem corporis, ergo cum medula ordinetur iusta ossa que sunt frigida et sicca, medula merito debet esse calida et humida.

Propterea dicit Ysaac quod superfluitates quanto sunt puriores et meliores tanto id a quo exeunt et generantur, est grossius e contrario. Sed medula est  
30 residuum nutrimenti ossis, ergo cum ossa nutriantur ex sanguine grosso melancolico, purior pars nutrimenti remanet in medula, talis autem est calida et humida, ergo medula est calida et humida.

Propterea philosophus in XII et Galenus in *De simplicibus medicina* quod ea que cito dissoluuntur ad ignem, medula est huius, ergo est calida, quod concedo. Sed  
35 nota quod duplex est medula: quedam est medula in ossibus generata ex nutrimento et hec est calida et humida, quia est ex puriori parte nutrimenti, sicut uisum est. Et quedam est medula generata ex spermate immediate ut medula cerebri et medula spinalis, et quelibet istarum est frigida et humida sicut cerebrum.

Ad primum in contrarium dicendum quod omne quod fluit ab aliquo per  
40 decisionem, attestatur ei a quo deciditur, ut fumus qui defluit ab igne, est calidus. Medula autem non fluit ab osse per decisionem sed per sequestrationem puri ab impuro sicut uisum est.

---

29. generatur *M*

33. uel *M*

41. sequestrationem *M*; 42. impuro *M*

Ad secundum dicendum quod tota medula oportet quod medula sit melancolica, nisi solum illa pars que conuertitur in ossa uel illa portio.

Iusta hoc queritur de nucha siue de spinali medulla dorsi cuius complexio 45 sit.

Quia dicit philosophus quod spinalis medula est calida et humida.

Contra dicit Auicenna quod medula squinalis uel spinalis extinguit ignem et omne tale est frigidum et humidum, ergo est frigida et humida.

Propterea dicit Ysaac quod omne insipidum est frigidum et humidum, sed 50 medula nuce est insipida, ergo est frigida et humida.

Propterea dicit Haly quod in *Regimine* alibi cerebrum /278ua/ est sicut radix, et nucha est sicut stipes. Alie autem medule sunt sicut rami, sed cerebrum est frigidum et humidum, ergo et nucha.

Quod concedo. 55

Et causa huius est quia cerebrum et medula spinalis sunt medium in uirtute animali cuius est recipere et pati, et propter hoc habuerunt qualitates, minime actiuam scilicet frigiditatem et maxime passiuam scilicet humiditatem. Sed medula spinalis potest considerari quantum ad suam causam efficientem, generatur enim ex spermate quod est calidum et humidum. Et sic dicit philosophus quod medula 60 est calida et humida, sed simpliciter est frigida et humida rationibus dictis.

Vel dicamus quod cum dicit philosophus quod spinalis medula est calida, loquitur in relatione ad cerebrum, tamen in comparatione ad alias medulas est frigida dictis de causis.

Per hoc satis soluitur controuersia inter philosophum et medicum. 65

Iusta hoc queritur quare medula spinalis et cerebrum sunt insipide, alie autem sunt sapide.

Et quare etiam medula et brodium sunt meliora et magis saporata in animalibus melancholicis quam in aliis ut medula et brodium bouis sunt magis

---

45. complexionis *M*

58. sed *M*; scilicet *add.*

70 saporata quam medula et siue †ca...daru† siue de carnibus porci autem est e  
contrario. Nam carnes bouine sunt pessimi nutrimenti et grossi, et porcine autem  
subtilioris nutrimenti et melioris.

Ad primum istorum dicendum quod medula spinalis et medula cerebri sunt  
frigide et humide et nature aque, et quia natura aque uult esse insipida, ut dicit  
75 philosophus in libro *De sensu et sensato*, et propter hoc medula cerebri est frigida  
et humida. Alie autem medule sunt calide et humide quia generantur ex sanguine  
untuoso qui est calidus et humidus.

Ad hoc dicendum quod in animalibus melancolicis carnes sunt dure et  
melancolice, et ossa similiter, et propter hoc atrahit a nutrimento id quod est  
80 grossum et melancolicum, et remanet id quod est aereum unctuosum in medula  
que generatur ex residuo nutrimenti ossis. Et quia omne aereum unctuosum est  
dulce, medule in huius animalibus sunt ualde sapite quia quicumque nutrit, sicut  
dicit Ysaac, partium dulcedinis. In aliis animalibus non est sic, ut in porco et in  
aliis, quia atrahunt de nutrimento id quod est subtilius et melius, et propter illud  
85 quod porcus est animal flegmaticum, et ideo habet multas humiditates superfluas,  
et ille humiditates in decoctione carnum mandantur brodio et propter hoc remanet  
naturalis humiditas in carne et sunt carnes bone. Sed brodium malum est propter  
superfluitates quas recipit a carne. E contrario autem est de boue quia est animal  
melancolicum, frigidum et siccum et paruum habet de humiditate superflua. Sed  
90 illud tantillum quod habet est aereum et subtile, et ista humiditas aerea subtilis  
mandatur brodio in decoctione et fit inde brodium optimum et ualde saporitum. Sed  
carnes remanent grosse et terrestres, quia paruum aut nichil in eis remanet de  
humiditate predicti, et propter hoc brodium bouis est optimum et carnes sunt grosse  
et male, de brodio autem porci et carnibus est e contrario.

95 **2.** Circa secundum huius sic dicit philosophus quod ab eodem principio  
oriuntur uene et sanguis contentus in uenis, ergo similiter ossa et medula contenta  
in ipsis. Sed a nucha oriuntur omnia alia ossa, ergo a spinali medula oriuntur omnes  
alie medule.

Propterea scribitur in libro *De plantis* et in libro *Methaurorum* quod illud est principium rei et elementatum quod est maximum in illo genere ut mare est elementum aquarum, ergo cum medula cerebri sit maxima inter alias, erit principium aliarum. 100

Contrarium dicit philosophus quod una medula non oritur ab alia, et medicus dicit quod spinalis medula oritur a cerebro et nulla alia.

Propterea cerebrum et medula spinalis sunt frigida et humida, alie medule sunt calide et humide, ergo non oriuntur a cerebro et spinali medula. 105

Ad hoc dicendum quod aliquid oritur ab aliquo tripliciter, aut uirtualiter sicut omnes uene oriuntur a corde ut compositionis sicut spinalis medula a cerebro, aut ratione continuitatis in opere ut omnia ossa sunt ad ferimentum tocius corporis siue subtentamentum sicut craneum et os spinalis medule. Dico ergo quod spinalis medula immediate oritur a cerebro. Alie autem non immediate sed solum uirtualiter quia alie ex nutrimento generantur, sed cerebrum et nucha ex spermate. 110

Ad primum in contrarium dicendum quod ossa non oriuntur a nucha et craneo immediate, sed coniunguntur per neruos qui dicuntur tenatos.

Per hoc patet solutio ad secundum. 115

**3.** Circa tertium huius sic dicit philosophus: quod caro secundum speciem augetur, caro secundum materiam augmentat, sed medula continue augetur, ergo generatur ex spermate.

Propterea sperma est calidum et humidum, sed omnis medula alia a cerebro est calida et humida, ergo omnis medula alia a cerebro generatur ex spermate. 120

Contra medula in ruminantibus est similis /278ub/ zirbo, in non ruminantibus autem est similis pinguedini, sed pinguedo et zirbus generantur ex nutrimento, ergo et medula generatur ex nutrimento.

---

100. libro *expunctuatum*

108. aut rationis continuatis in opere ut *expunctuatum*

112. generatur *M*; 116. quod *M*

122. aut *M*; autem *add.*

Iusta hoc queritur quare medula radicalis sicut nucha et cerebrum sunt  
125 frigide et humide, alie autem calide et humide.

Ad primum istorum dicendum quod nucha et cerebrum generantur ex spermate, alie autem medule ex nutrimento sicut uisum est contrarium.

Ad contrarium dicendum quod non est simile de carne et medula. Nam caro  
secundum speciem generatur ex radice spermatis propter esse, sed medula omnis  
130 alia a cerebro et nucha generatur ex nutrimento propter complementum et  
conseruationem in esse.

Ad hoc dicendum quod medula alia a cerebro et nucha non est calida et  
humida, quia generetur ex spermate, sed quia generatur ex sanguine unctioso qui  
est calidus et humidus.

135 Ad aliud dicendum quod cerebrum et nucha generantur ex spermate ex  
portione aque humida, flegmatica, quia in spermate est aliqua porcio flegmatica,  
frigida et humida, aliqua melancolica et aliqua sanguinea et aliqua colerica. Et  
propter hoc medula radicalis est frigida et humida, sed alie medule sunt calide et  
humide quia generantur ex obiecto nutritiuo quod est calidum et humidum.

140 Iusta hoc queritur quare plus reseruetur portio nutrimenti in ossibus quam in  
aliis partibus.

Vna causa est quia ossa sunt melancolica dura, et propter hoc requirunt  
nutrimentum grossum melancolicum. Sed nutrimentum corporis est calidum et  
humidum, et propter hoc oportuit quod reserueretur nutrimentum ossibus ut  
145 conuenienti retraherent illud quod erat ibi de grosso melancolico.

Secunda causa est quia nulle ueniunt uel penetrant substantiam ossis, unde  
non recciipiunt delegationem nutrimenti per uenas sicut alia membra, et propter hoc  
natura ossibus reseruat nutrimentum.

4. Postea queritur de secundo principali scilicet de quinque sensibus et  
150 primo de tactu utrum habeat organum.

---

126. quod *M*

128. in *M*; 139. nutritiue *M*

142. unam *M*; requiruntur

Secundo et si habeat utrum sit neruus uel caro uel temperamentum complexionis.

Tertium de comparatione tactus ad sua obiecta tam prima quam secunda.

Circa primum, sicut dicit philosophus, quod per habere sensum et non habere sensum differt ante animal, sed iste sensus est tactus, ergo per tactum 155 differt animal a non animal, et non per organum determinatum. Manifestum est quod tactus non habet organum determinatum.

Propterea tactus est in ossibus et in consimilibus et in officialibus, ergo nullum organum sibi determinat.

Propterea tertia digestiua non determinat sibi organum quia fit in qualibet 160 parte, sed prima et secunda determinant sibi organum, quia fiunt in parte determinata ut prima in stomacho et secunda in epate. Ergo cum tactus sit in animal in qualibet parte corporis non determinant sibi organum.

Contrarium autem dicit philosophus quod caro est instrumentum tactus uel aliquid latens sub carne. Et Auicenna dicit quod temperamentum complexionis est 165 medium in tactu, et uidetur quod fit utrum quod dicit philosophus in libro *De anima* quod eadem est natura medii et organi et obiecti, licet obiecti tactus est complexio, ergo medium in tangendo est temperamentum complexionis.

Propterea dicit philosophus quod sensus immunis a qualitate cuiuslibet obiecti ut apprehensium coloris est non color, et quod est apprehensium saporis 170 est insipidum. Sed calidum, frigidum et siccum sunt obiecta tactus, ergo illud quod immune est a quolibet illorum, est medium in tangendo, sed hoc nihil aliud est quam temperamentum complexionis, ergo temperamentum complexionis erit medium in tangendo.

Contra dicit philosophus in sexto decimo quod omnis operatio corporalis est 175 per medium corporale, ergo cum tangere sit operatio corporalis, esse per medium

---

168. tagendo *M*; 170. colores *M*  
172, 174. tagendo *M*

corporale, ergo in tangendo non est medium complexionis temperamentum, sed caro uel neruus de neccessitate.

Propterea queritur propter quid illorum sit medium, utrum caro uel neruus,  
180 quod dicit philosophus quod sensibile positum supra sensum nullum facit sensum,  
sed tangibile immediate ponitur supra carnem, ergo caro non est in stomachum  
tactus sed caro uel neruus, ergo neruus est secundum tactus.

Propterea dolor est sensus rei contrarie et iste sensus est tactus, ergo illud  
quod maxime sentit dolorem, est medium in tangendo. Sed hoc est neruus, est  
185 medium in tangendo et non caro.

Contra dicit philosophus in libro *De anima* quod ossa, pilli et nerui sunt  
insensibilia, ergo neruus non est medium in tangendo et caro uel neruus ergo caro.

Propterea ossa que sunt frigida et sicca minime, ergo illud quod maxime  
opponitur istis obtime sentit et est medium in tangendo, sed caro est hec que est  
190 calida et humida, ergo caro est instrumentum tactus.

Propterea dicit Auicenna quod cutis inter partes corporis est maxime  
temperata et maxime in uola manus et in pulpis digitorum et maxime in sumitate  
digiti indicis, ergo cutis est medium in tangendo et non caro uel neruus.

Ad primum istorum dicendum quod tactus operatur per /279ra/  
195 complexionem, alii autem sensus per compositionem, unde tactus est maxime  
materialis inter alios et non habet organum, determinant nisi carnem et neruum quia  
fit in qualibet parte corporis. Sed dico quod medium in tangendo quoddam est  
membrum per quod fit tactus, quoddam est dispositio per quam tactus est in illo et  
hoc modo est medium in tangendo scilicet temperamentum complexionis, sed  
200 organum tactus est aut est mandans tactum, et sic cerebrum est organum aut  
reccipiens tactum et sic caro, aut mandans et reccipiens et sic est neruus. Vnde  
neruus principale est instrumentum tactus, et hoc est quod dicit philosophus in

---

177. tagendo *M*; 181. tagibile *M*  
184, 185, 187, 190, 194. tagendo *M*  
198. quod *M*; -dam *add.*

duodecimo huius libri, quod caro non est principium uel primum instrumentum sensus nec membrum conueniens carni, sed quod est intra carnem scilicet neruus.

Ad primum dicendum quod habere sensum non est causa quia fit animal, 205  
sed quia est animal, ideo habet sensum.

Ad aliud dicendum quod tactus est in officialibus partium consimilium ut per carnem et neruum.

Ad tertium dicendum quod tertia digestiua non habet organum determinatum in corpore, quia est in qualibet a propria uirtute illius membri, sed 210  
tactus est in qualibet parte partium nerui.

Ad aliud didendum quod temperamentum complexionis est medium in tangendo non quia sit organum tactus sed est tamquam quedam dispositio. Et quod tu obicis quod organum sensus cuiuslibet debet esse in minime a qualitate obiecti. Vnde est in illis organis que recciunt qualitates secundas tantum et non primas, 215  
tactus autem reccipit qualitates primas. Vnde temperamentum complexionis non facit tactum sed bonitatem tactus.

Ad aliud dicendum quod neruus principaliter est instrumentum tactus.

Ad primum in contrarium dicendum quod philosophus loquitur de neruis qui ligant ossa, quos uocat medicus tenatos. Isti enim non sentiunt quia si sentirent, 220  
corpus esset in continuo dolore.

Ad alium dicendum quia non sequitur si ossa minime faciunt quod caro eis opposita in complexione maxime sentiat quia plus requiritur ad habitum quam ad priuationem.

Ad aliam rationem dicendum quod tale erat sensibile positum supra 225  
sensus, non facit sensum ut ferrum candens. Videtur quod ergo contangibile immediate positum supra neruum faciat sensum ut ferrum candens, uidetur quod neruus non facit sensum quia organum sensum reccipiat rei ueritatem, sed in primo reccipit solum rei intentionem. Vnde licet tangibile immediate ponitur supra

---

212. temperamentu *M*

225. que *M*; quod *add.*

226. ferum *M*; contagibile *M*



230 neruum, tamen non recipit rei ueritatem nisi per speciem uel intentionem,  
secundum quod dicitur esse sensus.

Circa tertium queritur primo utrum tactus sit unus sensus quia dicit  
Aristoteles in libro *De anima* quod unius contrarietatis. Vnus est sensus et plurum  
plures, sed tactus habet contrarietates duas, unam in actiuis et alteram in passiuis,  
235 ergo tactus non est sensus sed plures.

Propterea scribitur in *Prima philosophia* et in libro *Posteriorum* quod non  
est status in †ultima terminatione† sed in unitate, ergo cum non sit aliqua natura  
communis actiuis et passiuis et tam actiue quam passiuie sunt obiectum tactus,  
uidetur quod tactus non sit unus sensus.

240 In contrarium est philosophus qui dicit quod tactus est primus sensus et in  
eo est medium neruus. Et Auicenna qui dicit quod medium in tactu est per  
temperamentum complexionis.

Iusta hoc queritur de controuersia inter Haly et philosophum. Dicit enim  
Haly quod tactus non est unus sensus quia non est unius contrarietatis, philosophus  
245 autem uult quod sit unus sensus.

Queritur etiam quare multitudo contrarietatis prius reperitur in tangibilibus  
quam in aliis sensibus.

Et quare etiam tactus apprehendit primas qualitates et secundas, alii autem  
sensus apprehendunt solum qualitates secundas et non primas.

250 Et quare tactus uiget per temperamentum in complexione, gustus autem per  
humidum aquosum.

Et quare gustus plus dicitur quidam tactus quam aliqui aliorum sensuum.

Quare etiam tactus, gustus et olfatus operantur per complexionem, uisus  
autem et auditus per compositionem.

255 Et quare uisus et auditus plus habent choparticulum quam alii sensus  
quantum alii sensus non habent.

---

239. est *expunctuatum*

Et quare quedam animalia huiusmodi choparticulum, quedam autem non sicut pisces.

Et quare oculus plus representat ydolum quam alia instrumenta aliorum sensuum. 260

Et quare instrumentum uisus plus ponitur in loco superiori uel anteriori quam aliquod aliorum.

Et quare uisus apprehendit suum obiectum diametraliter uel linealiter, auditus autem circulariter et olfatus.

Et quare oculus est maxime impassibilis quantum ad tangibilia prima, ad 265 secunda autem passibilis, et sunt prima tangibilia calidum, frigidum, humidum et siccum, secunda autem tangibilia sunt dure, molle, asperum, lene.

Et quare aures uergunt ad partem capitis posteriorem, alii autem sensus ad partem anteriorem.

Ad primum dicendum quod tactus est unus sensus. 270

Ad primum in contrarium dicendum quod unus sensus unius contrarietatis aut informatiue, et sic in aliis sensibus, aut effectiue, et sic est in tactu. Est enim una prima contrarietas inter actiuas et passiuas.

Alii dicunt quod siccum sequitur calidum, sicut uult Auicenna, et frigidum asociat sibi humidum et ita passiuie redducuntur ad actiuas et est una prima 275 contrarietas in actiuis.

Per hoc patet solutio ad controuersiam, nam ratione subiecti in quo radicatur tactus, tactus enim unus sensus est, quia eius subiectum est unum scilicet neruus. Sed comparando tactum ad obiecta hoc propter esse dupluciter: aut obiectiue et sic tactus non est unus sensus, quia habet duas contrarietates, /279rb/ aut reducendo 280 duas contrarietates ad unam principalem, et sic tactus est unus sensus.

---

264. pas *expunctuatum*

265. ad secunda *mg.*; 266. ad secunda *lituratum*

268. alios *M*; sensus *mg.*

Ad aliud dicendum quod tactus est primus sensus et est deesse animalis et quia homo compositione operatur ex qualitatibus calido, frigido et humido et sicco que sunt actiue et passiuue, oportuit quod tactus, quia est deesse animalis, participat  
285 has quattor qualitates. Sed alii sensus non sunt deesse animalis sed de bene esse animalis. Vnde non apprehenduntur qualitates primas sed secundas, et quia in qualitatibus secundis sunt duo extrema solum, propter hoc tactus habet duas contrarietates, quelibet autem aliorum sensum est unius contrarietatis.

Ad aliud dicendum quod tactus est primus sensus inter alios et magis  
290 materialis, et ideo tactus apprehendit primas qualitates et secundas, alii secundas. Alii autem sensus tactum.

Ad aliud dicendum quod tactus plus materialis aliis sensibus, et quia complexio sequitur materiam, immediate tactus fit per temperamentum in complexione, alii sensus sunt magis spirituales, et ideo uigent per qualitates magis  
295 spirituales et magis remotas a materia quam sit complexio.

Ad aliud dicendum quod gustus est quidam tactus aut quia operatur per complexionem sicut tactus, aut quia nihil reccipit quoniam in eo delectantur tactus per compassionem, aut quia per aproximationem cum obiecto fit gustus sicut tactus. Vnde unitus cum obiecto tactus in qualibet parte sicut gustus et olfatus sunt  
300 maxime materiales et reccipiunt rei ueritatem. Alii autem sensus sunt magis spirituales et reccipiunt rei speciem et ideo tactus, gustus, olfatus operantur per complexionem, alii autem per compositionem.

Ad aliud dicendum quod choparticulum est in membro duabus de causis: aut ne ledatur ab extrinseco et sic trachee arteria cooperatur ab epygloto et sunt due  
305 caruncule in naribus, aut propter odorem hodorabilem clauduntur, propter autem delectationem aperiuntur. Et quidem sunt oculi qui sunt ualde passibiles et multum emitunt de radiis et talibus dedit natura cooparticulum. Sed oculi in

---

283. operatur *add.*; 303. autem *expunctuatum*

304. nec -c *expunctuata*

305. orabilem *M*

piscibus sunt dure compositionis et sunt in elemento ubi non resistens aqua est elementum flexibile, et propter hoc natura non dedit eis cooparticulum.

Ad aliud dicendum quod oculus plus participat de luce quam aliquod 310 aliorum sensuum, et quia lucis est representare ea que recipit, propter hoc oculus plus representat ydolum quam alii sensus.

Ad aliud dicendum quod sicut dicit Auicenna, oculi ponuntur in capite sicut specula in summitate turris ut uideant nocumen a remotis.

Secunda causa est quia uisus spiritualior est inter omnes alios sensus, et 315 ideo organum uisus situatum est supra alia organa.

Tertia causa est quia cerebrum est positum in parte superiori et oculi sunt eiusdem compositionis cum cerebro et ideo situatur in parte superiori.

Ad aliud dicendum quod obiectum auditus et olfatus secundum rei ueritatem agit in medium, et quia aer eiusdem nature in toto et in parte immutatur 320 circulariter ab obiecto, et non olfatus et auditus circulariter sentiunt suum obiectum, sed uisus linealiter uel diametraliter, quia obiectus uisus est quid spirituale et non immutat modum secundum rei ueritatem, sed immutat organum per naturam lucis, et quia luci nihil est contrarium nisi tenebra que est pura priuatio, propter hoc oculi recipiunt ydolum linealiter sicut ... 325

Secunda causa est quia oculi emitunt radios linealiter sicut speculum recipit linealiter et ideo uisus recipit obiectum linealiter.

Item aures site sunt in medio capitis, una a destris et alia a sinistris, et ideo recipiunt obiectum undique circulariter quod non faciunt alii sensus quia situantur in parte anteriori tantum. 330

Ad aliud dicendum quod oculus operatur per complexionem, est enim distemperatus in complexione et ideo minime petitur a primis tangibilibus que operantur per complexionem. Sed de facili patitur a secundis tangibilibus que operantur per complexionem, cum sit compositionis rare et tenue.

---

328. ad *M*

332. a secundis *expunctuatum*; a primis *mg.*

335           Ad aliud dicendum quod aures uergunt ad partem posteriorem, quia aures reccipiunt obiectum mediante aere, et quia pars posterior est uacua a cerebro et plena aere, propter hoc aures plus uergunt ad partem posteriorem.

---

336. posteor *M*

**Questio secunda**

***Modo uero debemus uidere, consciderare dispositionem animalium habencium et cetera.***

Circa XIII ad hec primo queritur de corde.

Secundo de epate.

5

Tertio de uenis.

Quarto de pulmone.

Quinto de diafragmate.

Primo queritur de corde a parte complexionis sue.

Secundo quantum ad actiua anime.

10

Tertio a parte compositionis.

Quarto et ultimo de comparatione cordis ad alia membra que ab ipso oriuntur.

1. Circa primum sic: simile generat sibi simile in specie loquendo uniuoce.

Dicit enim quod omne simile generat sibi simile nomine et specie, sed cor generat sanguinem qui est calidus et humidus, ergo et cor erit calidum et humidum. 15

Propterea simile et simili nutritur sicut dicit philosophus et Ysaac. Sed cor nutritur ex puriori sanguine, sic dicunt auctores quod sanguis est calidus et humidus, ergo cor est calidum et humidum.

Oppositum dicit philosophus et Auicenna quod cor est calidum et siccum. 20

Propterea dicit quod cerebrum positum est in contrarium cordi ut mitigi calorem cordis, ergo cum cerebrum sit frigidum et humidum, cor erit calidum et siccum.

---

1. questio secunda *mg.*

/279<sup>ua</sup>/ Propterea in corde generantur spiritus qui sunt calidi et sicci, ergo cor debet  
25 esse calidum et siccum.

Quod concedo.

Ad primum in contrarium dicendum quod cor generat sanguinem uirtualiter  
tamquam principium originale, sed epar generat sanguinem immediate, et ideo est  
sanguineum, et hac ratione cor est calidum et siccum, quia ab ipso generantur  
30 spiritus immediate qui sunt calidi et sicci.

Ad secundum dicendum quod quedam est uita radicalis que infunditur  
corpori per unionem anime cum corpore, et quia anima fuit spiritualis, oportuit esse  
aliquod medium huius unionis, istud autem medium est spiritus. Spiritus enim inter  
omnia corpora sunt subtiliara et magis spiritualia.

35 Est autem alia uita materialis que influitur a corde et epate in omnibus  
membris. Et hec uigit per calidum et humidum, quia ergo nam nutrimentum in  
quantum nutrimentum est calidum et humidum, quia ergo cor in medius generat  
spiritus quantum sanguinem, propter hoc est calidum et siccum et non sanguineum.

Per hoc patet solutio ad tertium.

40 **2.** Circa secundum queritur primo in quo corde sit maior audacia uel timor  
utrum in paruo et uel in magno, quia dicit philosophus quod mares sunt maiores  
feminis, sed mares audatiores sunt quam femine, ergo audatia plus sequitur  
magnitudinem quam paruitatem, ergo in corpore magno plus uiget audatia quam in  
paruo.

45 Propterea dicit Haly et Galenus quod audatia peruenit ex confidutia in  
uirtute et habundantia caloris naturalis et spiritus. Sed plus de calore et spiritu est in  
corde magno quam in paruo, ergo in magno corde plus uiget audatia quam in  
paruo.

In contrarium est quod dicit philosophus quod animalia timida sicut ceruus  
50 et lepus habet magnum cor.

---

36. uigi *M*; in quantum nutrimentum *mg.*; 40. e *expunctuata*

Propterea ratio philosophi est talis: ignis paruus fortior est et magis calefacit in parua domo quam in magna, quia magis compingitur et minus delectatur uel expanditur, et sic eius uirtus forcior, ergo similiter calor cordis forcior est in paruo corde quam in magno.

Propterea philosophus in libro *De causis* dicit quod omnis uirtus unita 55 forcior est se ipsa diuisa, ergo cum in paruo corde magis uniatur uirtus quam in magno, forcior est uirtus in paruo corde quam in magno. Sed ex fortitudine uirtutis resultat audatia ergo audatia plus uiget in corde paruo quam in magno.

Iusta hoc queritur quare paruitas in capite semper uituperatur et est prauum signum, in corde autem laudatur paruitas et est signum audacie. 60

Item quare mares audatiores sunt naturaliter quam femine.

Et quare animalia sanguinem habencia audatiora sunt animalibus que non habent sanguinem.

Ad primum istorum dicendum quod si idem calor comparetur ad cor magnum et paruum, plus de audatia est in corde paruo quam magno, sicut calor 65 ignis forcior est in parua domo. Sed si cor magnum secundum sui exigentiam habeat calorem et spiritum sicut paruum, plus uiget audatia in corde magno quam in paruo.

Per hoc patet solutio ad secundum argumentum.

Ad primum dicendum quod audatia non prouenit ratione magnitudinis, sed 70 ex habundantia spiritus et caloris. Calor autem et spiritus generantur in corde per confricationem partium, et quia in corde paruo partes magis choerent quam in magno, plus de spiritu et calore generatur in corde paruo quam in magno.

Ad aliud dicendum quod cerebrum est principium operationis animalis, uirtutes autem animales plus operantur per naturam lucis. Lucis autem proprietas 75 est se expandere et multiplicare, et hoc requirit amplitudinem loci. Et propter hoc paruitas capitis semper uituperatur sed magnitudo capitis aliquando est a forti

---

58. uigi *M*

63. haben *M*; 66. exigentia *M*

75. natura *M*



uirtute et habundantia materie, et tunc est laudata. Aliquando ex debili uirtute et habundantia materie, et tunc est uituperanda. Paruitas autem in corde laudatur quia  
80 cor generat spiritum et calorem per confricationem partium sicut dictum est.

Ad aliud dicendum quod mares plus habent de calore et spiritu quam femine.

Item mares respectu feminarum sunt sicci, habilitas autem ad motum uiget per siccitatem, nam nerui quanto sicciores tanto magis sunt ad motum habiles sicut  
85 dicit Galenus.

Iterum, quia sunt ad tutelam et defenssionem feminarum, ideo sunt audatiores naturaliter quam femine.

Ad aliud dicendum quod audatia prouenit, sicut dictum est, ex habundantia caloris et spiritus, sicut dicit Haly. Et propter hoc animalia non habentia sanguinem  
90 non sunt audatia, quia in ipsis est calor debilis et remota causa remouetur effectus.

Iusta hoc queritur quare ex gaudio subito moriuntur homines, ex tristitia autem paulatine, ex audacia autem uel ira numquam.

Ad hoc dicendum quod in gaudio propter nimiam delectationem, extra delectatur cor et transmititur calor et spiritus ad exteriora et deficit calor in radice et  
95 exalatur et sequitur mors. Sed in tristitia primo retrahit calor ad interiora et postea aliquando ad exteriora, et talis agitatio caloris naturalis prohibet nutrimentum in membris et operatur consumptionem in illis. Et ideo per procesum temporis sequitur ethica, et sic tristitia interficit paulatine. Sed audatia uel ira numquam, quia in ira non solum calefiunt membra exteriora sed etiam interiora, et sic remanet  
100 calor /279ub/ in radice, et quia quamdiu remanet calor in radice, numquam sequitur mors subita ideo ex audatia uel ira numquam sequitur mors.

Postea queritur in qua complexione sit plus audacia.

Secundo in qua regione.

---

78. lauda *M*

99. in ria *expunctuatum*

Circa primum sic sicut se habent animalia habencia sanguinem ad non habencia sed nobilitatem maiorem et minorem sicut complexio sanguinea ad alias 105 complexiones, sed animalia habencia sanguinem audatiora sunt quam non habencia, quare et complexio sanguinea erit audatior inter omnes.

Propterea audatia prouenit ex fortitudine uirtutis, sed habencia sanguinis plus est in sanguineis quam in aliis, ergo sanguinea complexio est audatior aliis 110 complexionibus.

Contrarium dicit Galenus et Haly quod colerica complexio est magis audax.

Propterea dicit Auicenna quod ex habundantia spirituum generetur audatia. Sed habundantia spirituum est maior in colerica complexione, quia spiritus sunt calidi et sicci sicut colerica complexio, ergo in colerica complexione est maior 115 audacia.

Circa secundum sic: complexio calida est audatior, ergo in regione calida plus uiget audacia, quia magis conuenit eidem quam alie.

Contrarium dicit Auicenna quod in regione frigida est uirtus animalis peior et naturalis melior, in calida est e contrario.

Propterea in regione frigida uirtus est forcior quam in calida, sicut uirtutes 120 sunt forciores in yeme quam in estate. Sed ex forti uirtute resultat audacia, ergo in regione frigida plus uiget audacia quam in calida.

Ad primum istorum dicendum quod quedam est audacia temperata que est ex fortitudine uirtutis et habundantia caloris et hec plus est in sanguineis, et sicut procedit secunda ratio. Alia est audacia causata ex mala complexione stimulante 125 spirituum et hec plus est in colerico, et hanc uocant medici maniacam confidentia, et de ista loquitur Haly et Galenus cum dicunt quod complexio colerica est magis audax.

Ad primum argumentum dicendum quod non est simile, nam in animalibus non habentibus sanguinem deficit penitus sanguis et spiritus qui ex sanguine 130 generatur. Sed in aliis complexionibus a sanguinea non deficit sanguis penitus, sed

---

123. i *expunctuata*

est sanguis in maiori quantitate quam alii humores, unde dicitur complexio flegmatica uel colerica eo quod colera et flegma excedit quantitatem secundum quam debet esse in corpore moderato uel temperato, et quia in colerica  
135 complexione est maior inflamatio spirituum et est complexio calida et sicca stimulans. Et sunt etiam colerici habiliores ad motum ratione siccitatis, ideo in colericis est maior audacia.

Ad secundum quesitum dicendum quod in regione calida sunt homines magis audaces inordinate, quia cicius mouentur et cicius retrahunt se et minus  
140 perseuerant. Sed in regione frigida sunt magis audaces, quia uirtus est forcior sicut in yeme fortis, et licet est uirtus eorum fortior quia calor intra est magis fortis et licet non ita cito moueantur in frigida regione, tamen diucius perseuerant. Sed in regione temperata sunt similiter magis audaces, quia satis cito mouentur ratione caliditatis moderate et diucius perseuerant ratione frigiditatis.

145 Postea queritur utrum cor sit calidius quam spiritus uel e contrario, quia cor est calidum formaliter solum, spiritus autem formaliter et materialiter sunt calidi, ergo spiritus calidiores sunt quam cor.

Propterea simile est maiori mundo et minori, sed in maiori mundo elementum quod est clarius et subtilius sicut ignis est magis calidus, ergo cum  
150 spiritus sit magis subtilis et clarus quam cor et quam cetera membra, erunt calidissimi quia spiritus erunt calidiores quam cor.

Contra sicut uult philosophus in principio *Methaurorum*, quanto magis agens inuenit forcius, resistens tanto forcius imprimit, unde aqua calida forcius congelatur quam frigida. Ergo cum materia sit grossior et magis resistens in corde  
155 quam in spiritu, sicut stipula cicius inflamatur quam ferrum, manifestum est quod cor calidius est quam spiritus, sicut ferrum candens quam stipula inflamata.

Propterea si aliquid dicatur de principio et principiato, per prius dicitur de principio quam de principiato, ergo cum cor sit principium spiritus, calor per prius dicitur de corde quam de spiritu.

---

144. rationem *M*

Ad hoc dicunt quidam quod spiritus calidiores sunt informatiue, cor autem 160  
effectiue.

Et per hoc patet satis solutio ad argumenta.

Aliter potest dici quod cor semper est calidius quam spiritus, quia calor non  
inest spiritui nisi per cor.

Ad primum in contrarium dicendum quod caliditas formalis in corde est in 165  
grossiori materia quam in spiritu, unde sicut ferrum candens est calidius quam  
stipula inflamata, sic cor quam spiritus.

Ad secundum dicendum quod non est simile, nam ignis quod est subtilius et  
clarius inter omnia elementa, non recipit lumen et calorem ab aliis elementis, sed  
spiritus recipit calorem a corde. 170

3. Circa tertium sic et queritur utrum compositio cordis mollis sit melior  
quam eius compositio dura, nam quanto est maior caliditas in corde, tanto uirtus est  
forcior, et in compositione grossa et dura plus uiget caliditas uel forcior est quam in  
mollis, ergo compositio dura melior est quam materialis.

Propterea cor est in continuo motu et generat calorem et spiritum per 175  
confricationem partium, ergo compositio grossa et dura melius substineat motum et  
confricationem partium quam mollis, quia mollis compositio cito dissolueretur.  
Manifestum est quod /280ra/ compositio dura melior est quam mollis.

Contra dicit philosophus in libro *De anima* quod molles carnes aptes mente  
dicimus, ergo compositio mollis melior est quam dura. 180

Propterea dicit Auicenna quod mollis compositio est laudatior in corde.

Ad hoc dicendum quod quantum ad uirtutem uitalem et generationem  
caloris melior est grossa compositio quam mollis, et sic procedunt duo prima  
argumenta. Sed quantum ad bonitatem ingenii et aprehensionis melior est mollis  
compositio in corde, et sic loquitur philosophus et Auicenna. 185

Iusta hoc queritur quare accuta pars cordis solidior et durior quam basis.

---

167. stipula *M*

Et quare in animalibus calidis pars accuta est inferius et basis superius, in piscibus autem est e contrario.

Quare etiam in corde plus inuenitur os quam in epate uel in aliis membris  
190 interioribus.

Et quare in quibusdam animalibus inuenitur, in quibusdam non ut inuenitur in corde cerui plusquam in aliis.

Queritur etiam de controuersia inter philosophum et medicum, quoniam medicus dicit quod inuenitur in corde cerui, philosophus dicit quod reperitur solum  
195 in corde equi et bouis.

Queritur etiam quare os de corde cerui plus est medicinale quam alia ossa.

Ad primum dicendum quod una causa est quia cor quantum ad basim opponitur cerebro et recipit humiditates a cerebro, et ideo basis mollior est quam conus scilicet.

200 Secunda causa est quia basis per uenam magnam continue recipit delegationem ab epate, unde sicut arteria durioris est compositionis et solitudioris quam uena, quia arteria habet duas tunicas et uena unam, sicut acumen siue conu inferior est solidius et durius quam basis, acumini enim uicinantur plus arteria et basi uena magna.

205 Ad aliud dicendum quod in animalibus calidis cor recipit a cerebro humiditates mediante basi, et ideo in ipsis basis est superior.

Iterum per latam partem cordis ad alia membra. Et quia plus de calore fit insufflatio caloris et spiritus ipsius cordis ad alia membra. Et quare de calore magis requirunt membra superiora quam inferiora cum sint magis nobilia, propter hoc  
210 basis est superius et conus inferius. In piscibus autem est e contrario quia in ipsis est parum de calore, unde si basis esset superius, reciperet humiditates a cerebro, statim suffocatur calor, et propter hoc in ipsis conus uel locus magis callosus fuit superius ne nimis infrigidaretur a cerebro quod est membrum frigidum et basis inferius.

---

202. corius *M*; 209. magis *add.*

Ad aliud dicendum quod cor, cum sit in continuo motu, est melancolicum et 215  
grosse substantie, et ideo os consimiliter sit melancolicum, cicius generatur in  
corde quam in alio membro, et hoc plus in animalibus melancolicis, quia in eis est  
cor magis grossum et melancolicum ut in equo et in boue.

Ad controuersiam soluendum quia in corde cerui non generatur os sed 220  
generatur quedam cartilago quam uocat medicus os de corde cerui. Et hoc est quia  
equus et bos sunt animalia maiora et duriora quam ceruus, uel durioris  
compositionis, et ideo in ipsis cicius generatur os durum quam in ceruo.

Est autem os de corde cerui magis medicinale quam alia, quia, sicut dicit  
philosophus in octauo huius libri, inter omnia animalia ouis est animal magis  
stolidum, ceruus autem est animal magis discretum, unde sit eligere herbas 225  
competentes sibi magis, ut cerua quando uult parere, comedit dragunteam, et quia  
habet corpus ualde debile in calore, cum sit animal ualde tumidum, eligit herbas  
que habent adspetum ad cor. Et ideo os quod generatur in corde, ratione illarum  
herbarum, est magis medicinale quam alia ossa.

Secunda causa est quia cor in ceruo peius est quam in aliis animalibus, quia 230  
magis melancolicum, et ideo eius superfluitas est melior, sed quia generatur in  
corde cerui.

4. Circa quartum queritur primo utrum uita in corpore determinet sibi  
aliquod membrum et si sic, utrum illud membrum sit cor.

Circa primum sic dicit philosophus: quod uiuere est uiuentibus esse, sed 235  
esse non determinat sibi partem in corpore sed conuenit cum cuilibet parti ergo  
similiter uita.

Propterea scribitur in libro *De motu cordis* quod primus actus egreditur a  
substantia anime, secundi autem egrediuntur a uirtute. Sed substantia anime  
equaliter in quolibet membro, ergo similiter uita que est prius. 240

---

219. soluedum *M*

234. secundo *expunctuatum*

Propterea uiuere est se ipso moueri, sed quodlibet membrum per se ipsum mouetur a uirtute anime, ergo quodlibet membrum de se habet uitam.

In contrarium est Auicenna qui dicit quod cor est domicilium anime et eius habitator est anima, ergo mediante corde inest uita omnibus aliis membris.

245 Propterea hoc dicit philosophus in hoc libro, quia sicut anima est una uita, principium a parte corporis est unum scilicet cor.

Propterea dicit philosophus in undecimo /280rb/ quod omnis actio corporalis fit per medium corporale, ergo uita in corpore principaliter est in aliquo modo.

Iusta hoc queritur de controuersia inter philosophum et medicum, 250 philosophus enim ponit tantum unum principium uite scilicet cor, et medicus ponit quattuor membra principalia, cor, epar et cerebrum et testiculi.

Ad primum dicendum quod quedam est uita radicalis per unionem anime in corpore et hec uita equaliter est in quolibet membro. Et est quedam uita materialis uel conseruatio uite que inest aliis membris per cor. In corde enim generatur calor 255 et spiritus ex quibus conseruatur uita in omnibus membris, et sic uita principalius est in corde quam in aliis membris, et sic loquitur Auicenna etiam philosophus. Cor autem est illud membrum per quod inest uita aliis membris, quia cor est in homine in medio sicut sol in maiori mundo, unde sicut sol illuminat omnes partes mundi, sic cor influit super omnes partes corporis.

260 Ad aliud dicendum quod philosophus ponit unum membrum principale, quia corpus hominis componitur ex corpore et anima, unde sicut anima fuit una, sic et principium corporis a parte uite debet esse unum scilicet cor. Sed medicus qui est magis sensibilis artifex, non considerat influentiam anime sed solum influentias materiales que possunt conseruari per beneficium medicine, et quia uirtus uitalis est 265 in corde, naturalis in epate, animalis in cerebro, generatiua in testiculis, ideo ponit hec quattuor membra principalia, quia quando leduntur operationes uitales, applicat medicinas ad cor, quando animales ad cerebrum, quando naturales ad epar, quando impeditur uirtus generatiua, applicat ad testiculos.

---

254. conseruaio *M*

**Questio tertia**

***Quod uero est in posteriori corporis prope coxas et cetera.***

Circa quartum decimum restant quedam querenda de corde.

Et primo queritur utrum cor influat ita aliis membris quod nullo modo recipiat ab ipsis. 5

Secundo queritur utrum cor possit infermari.

Tertio utrum in destra parte cordis sit sanguis calidior quam in sinistra parte uel e contrario.

Quarto utrum cor sit principium sanguinis uel epar.

Quinto utrum in destra parte cordis sit sanguis calidior quam in sinistra uel e contrario. 10

Vtrum etiam in uena uel arteria et in quo istorum sit sanguis grossior uel subtilior.

1. Circa primum sic scribitur in tertio *Physicorum*: omne agens physice dum mouet, mouetur et dum agit patitur. Et in septimo decimo huius libri dicit 15 quod omne mouens physice dum mouet mouetur, ergo cum cor influat aliis membris naturaliter non ita influit quando ab alio recipiat.

Propterea philosophus in hoc libro dicit quod cerebrum ex opposito situatur contra cor ut mitiget propter sui frigiditatem calorem in corde, ergo cor non solum influit sed ab aliis recipit. 20

---

1. questio tertia *mg.*; 2. non *M*; uero *add.*  
17. influitur *M*



Propterea dicit Haly et Galenus quod epar contraoperatur cordi secundum omnes suas operationes, sed cor non potest contraoperari epati quantum ad siccitatem, ergo cor recipit etiam ab epate plus quam epar a corde.

Ad oppositum dicit philosophus quod cor influunt super alia membra et nihil  
25 recipit ab ipsis. Et Auicenna dicit quod membrorum quedam sunt que influunt tantum et non recipiunt sicut cor, quedam que recipiunt tantum sicut caro, quedam que recipiunt et influunt sicut neruus et uena.

Iusta hoc queritur quare philosophus tangit contraoperationem cerebri ad cor, medicus non.

30 Et quare medicus tangit contraoperationem cordis et epatis, et non philosophus.

Et quare epar contraoperatur cordi quantum ad omnes qualitates et non e contrario, cum cor sit membrum nobilius quam epar. Cor enim non potest contraoperari siccitati epatis sicut dicit Haly et Galenus.

35 Ad primum dicendum quod duobus modis est aut materialiter aut uirtualiter. Si materialiter hoc modo recipit cor ab aliis tribus modis, sicut dicit Haly, recipit enim aer frigidum per poros insensibiles totius corporis, per pulsum et per hanelitum. Et philosophus addit quartum, scilicet influentiam cerebri. Quintum modum potest esse contraoperatio epatis ad cor, et omnibus istis modis  
40 recipit cor ab aliis. Sed uirtualiter omnia membra recipiunt a cordis uirtute, et cor ab aliis nihil recipit, et sic loquitur philosophus et Auicenna.

Ad primum in contrarium dicendum quod omne agens physice dum agit, patitur illo modo quo agit, unde cor uirtualiter influunt in aliis membris et materialiter recipit ab ipsis. Per hoc patet solutio ad tertium uel dicamus quod epar  
45 non contraoperatur cordi nisi per relationem ad tertium, quia enim cor et epar totum corpus debent calefacere. Si epar sit frigidum, contraoperatur cordi quia frustratur a suo fine eo quod non potest calefacere corpus, sicut debet, propter defectum caloris

---

21. sed *M*; secundum *add.*

35. recipere *lituratum*

41. et *add.*

in epate, et ponit Barus exemplum: si duo homines debent hedificare castrum et deficiat, unus contraoperatur huic fini, quia in debito termino et breui homo solus non potest constituere castrum, posset tamen si alius adiuuaret ipsum siquidem. 50

/280ua/ Ad aliud dicendum quod contraoperatio cerebri ad cor est abstracta et essentialis et inuariabilis, et propter hoc hanc contraoperationem tangit philosophus et non medicus. Medicus enim non tangit nisi illam contraoperationem que est uariabilis, et potest permutari per beneficium medicine. Hec autem est contraoperatio cordis et epatis que est accidentalis et respectiua, propter hoc hanc 55 tangit medicus et non philosophus.

Ad aliud dicendum quod fons totius humiditatis est in epate, et quia arescente fonte arescunt riuuli, siccitati epatis nullum membrum contraoperatur, non potuit contraoperari humiditas cordis, quia cor semper est magis siccum quam epar. 60

Et si obicias, principium totius caliditatis est in corde sicut humiditatis in epate, ergo caliditati cordis non contraoperatur epar sic nec cor siccitati epatis.

Dico quod non est simile, nam epar de se est calidum, unde si paruus calor sit in corde, caliditas intensa in epate potest suplere defectum ipsius. Sed cor ita est siccum quod nullo modo humidum, et ideo si deficiat humiditas in epate, nullo 65 modo restauratur defectus per humiditatem in corde, cum cor sit essentialiter siccum non humidum.

2. Circa secundum sic: sincopis, rectigatio, cardiaca, diaforetica, tremor cordis que determinantur in *Viatico* et in aliis libris, ergo cor potest infirmari.

Propterea Auicenna sic arguit de cerebro quod possit apostemari omne quod 70 potest extendi naturaliter, potest extendi innaturaliter. Sed cor naturaliter potest extendi per nutrimentum, ergo et innaturaliter poterit extendi per apostema.

Propterea Galenus *supra †Yppocratem†* ubi dicit quod quidam sunt morbi estiuales et quidam yemales, et dicit quod non dicitur estiuales quod non possint in alio tempore euenire, sed quia ut plurimum in estate accidunt, ergo et similiter licet 75 cor raro infirmetur, tamen potest infirmari.

Propterea Galenus dicit in libro *Interiorum* quod mors est completum dominium morbi super naturam, sed cor moritur sicut alia membra, ergo aliquando patitur morbum.

80 Contrarium dicit philosophus quod solum cor inter omnia membra non potest infirmitatem pati magnam. Et arguit sic in omnibus aliis membris a corde inuenitur apostema uel aliqua lesio, in corde nulla lesio inuenietur in animalibus mortuis, ergo cor numquam potest infirmari sicut cetera membra.

Propterea philosophus in principio decimi et Galenus in *Tegni* tunc est  
85 unumquodque membrum egrum cum desit ab operationibus consuetis. Sed operationes cordis sunt dillatio et constrictio, iste autem operationes cordis non possunt cessare uita durante, ergo cor non potest infirmari uita durante.

Ad hoc dicendum quod, sicut dicit Galenus, omnis morbus habet quattuor tempora: principium, augmentum, statum et declinationem. Dico ergo quod  
90 quantum ad principium uel in initium augmenti cor potest infirmari, sed in termino augmenti uel in statu numquam, quia augmentum uel statum non posset cor expectare uita durante.

Ad primum in contrarium dicendum quod sincopis est passio cordis per compassionem ut si est minus dolor in ore stomachi compatitur et fit sincopis uel  
95 tremor cordis, unde cor non patitur infirmitatem nisi per compassionem solum.

Ad alia argumenta patet solutio per distinctionem.

3. Circa tertium sic dicit philosophus in capitulo *De anathomia* quod si crudum ueniat ad cor immediate uel statim suffocat uel facit languescere. Sed si sanguis generaretur in corde, aliquando cibus et potus coctus ueniret ad cor, quia  
100 aliquando contingit quod cibus uel potus nullam digestionem recipit in stomacho, ergo in corde non potest generari sanguis.

Propterea essencialior est transmutatio cibi quam aeris, nam cibus conuertitur, aer autem solum alteratur. Sed cor non atrahit aera immediate, sed

---

93-94. per com- mg.

mediante pulmone, ergo firmiori ratione non atrahet chilum a stomacho immediate  
sed mediante epate. 105

Propterea in naturalibus simile ex simili generatur effectiue et non  
materialiter, sed epar est sanguineum et non cor, ergo epar est principium sanguinis  
et non cor.

Propterea subtile et grossum differentia in genere non generatur in eodem  
membro. Sanguis et spiritus differunt in genere, ergo cum spiritus generantur in 110  
corde, ibidem non potuit generari sanguis.

Propterea philosophus in libro *Posteriorum* dicit quod illud quod est causa  
rei, est quo posito ponitur res ex quo remoto remouetur res, sed positio sanguinis in  
animali ponitur, epar et e contrario. Nam omne animal habens sanguinem habet  
epar, ergo epar est principium sanguinis et non cor. 115

Contrarium dicit philosophus et arguit sic: illud quod est principium rei in  
quo plus inuenitur, sed in animalibus mortuis, in corde plus inuenitur de sanguine  
quam in epate, quia in corde est concauitas in suis talamis, et epate non, ergo cor  
est principium sanguinis.

Secunda ratio quam ponit est hec: epar habet sibi membrum oppositum 120  
scilicet splen, ergo non est principium sanguinis, sed principium sanguinis est cor  
uel epar, ergo cor est principium sanguinis.

Tertia ratio sua hec est: idem est principium continentis et contenti, sed cor  
est principium uenarum, /280ub/ ergo est principium sanguinis qui continetur in  
uenis. 125

Ad hoc dicendum quod cor est principium radicale sanguinis, nam epar non  
digerit sanguinem nisi per uirtutem quam appetit, reccipit a corde. Epar autem est  
immediatum principio proximum et materialiter generans sanguinem. Item  
complementum sanguinis generatur in corde, quia sanguis epatis est grossus et  
indigestus respectu sanguinis qui est in corde. 130

---

104. pulmone *prima* -l- *expunctuata*

113. positio *M*; sanguinem *M*

121. splera *M*; splen *add.*

Alii dicunt quod cor est principium sanguinis quia in corde non alius humor a sanguine, sed epar non est principium sanguinis solum, sed sanguis cum aliis humoribus, unde cor est principium mediatum et remotum et formale, epar autem immediatum et materiale. Per hoc solutio patet ad argumenta.

135        4. Circa quartum sic dicit philosophus in quarto *Methaurorum* quod calidiora et grossiora sunt indigestis, sed sanguis qui est in parte sinistra, est magis digestus quam in destra. Nam per destra transsit ad sinistram et ibi digeritur ulterius, ergo sanguis in sinistra parte est calidior et grossior quam in destra.

Propterea basis cordis opponitur recte cerebrum et sanguis qui ibi est,  
140 refrigeratur a cerebro. Sed pars accuta non infrigidatur ab aliquo, ergo cum conus siue pars accuta situetur in parte sinistra, pars sinistra erit calidior quam destra.

Contrarium dicit philosophus quod destra pars super uigorosior et calidior est quam sinistra, ergo sanguis uenalis sit calidior quam arterialis uel e contrario, quia quanto sanguis procedit per uenas, tanto magis ingrossatur, quia digestio  
145 procedit ingrosando. Sed uena uenit in arterias ergo sanguis arterialis grossior est et calidior quam uenalis.

Propterea ex sanguine arteriali nutriuntur membra superiora, ex uenali autem inferiora. Sed membra superiora calidiora sunt inferioribus, ergo arterialis calidior est quam uenalis.

150        Propterea dicit Auicenna quod calidius inter omnia membra corporis, est spiritus et cor. Sed ex sanguine arteriali generantur spiritus, ex uenali non, ergo arterialis sanguis calidior est quam uenalis.

Contra, uene oriuntur a destra parte cordis, arterie autem a sinistra, ergo cum destra pars sit calidior quam sinistra, sanguis uenalis erit calidior quam arterialis.

155        Ad primum istorum dicendum quod sanguis in sinistra parte subtilior est quam destra et in arteria quam in uena. Ad hoc autem quod tu obicis quod sanguis qui est in sinistra parte, est magis digestus, ergo est grossior.

---

136. digniora *M*; calidiora *add.*

144. quam *M*; quanto *add.*; 145. uenas *M*

Dicendum quod digestio procedit ingrossando quando agit supra totum et inde fiat humiditas et postea membrum. Sed digestio supra sanguinem qui est in corde in sinistra parte, est supra partem et non supra totum. Et quia quod procedit 160 subtiliando, quia inde debent generari spiritus et sunt corpora subtilissima, et propter eandem causam sanguis arterialis subtilior est et calidior quam uenalis.

Hiis uisis patet solutio ad argumenta.

Iusta hoc queritur quare sanguis non habet emuntorium.

Et quare ictericia numquam fit ex sanguine. 165

Et quare non fit minutio sanguinis de arteria sicut de uena.

Et quare quidam equi minuunt sibi sicut equi ungari maxime.

Ad primum istorum dicendum quod sanguis est amicus nature, et ideo diligitur a natura et retinetur, et ideo natura non dedit ei emuntorium quia non intendit ipsum expellere. 170

Secunda causa est quia alii humores sunt superfluitates respectu sanguinis.

Per hoc patet solutio de ictericia, ictericia enim fit per expulsionem humorum ad superficiem cutis quando natura non intendit expellere sanguinem, ergo ex sanguine non generatur ictericia.

Ad aliud dicendum quod una causa est quia timemus nimium fluxum 175 sanguinis in minutione arterie.

Et si obicias quod plus de sanguine in uena est quam in arteria.

Dicendum quod uerum est sed quia sanguis in arteria est subtilior et magis ebullit ratione spirituum, plus timemus fluxum sanguinis in arteria quam in uena. Nam non solum sanguis qui est in arteria euacuatur, sed sanguis qui fluit a toto 180 corpore ad locum euacuatur.

Secunda causa est quia timemus consolidationem uulneris.

---

166. itericia *M*; 167. sanguinis *add.*

175. ergo *add.*; 177. artericie *M*; arterie *add.*

178. in uena *add.*; artericia *M*; arteria *add.*

179. artia *M*; 180. artericia *M*; arteria *add.*

181. solus *M*; sanguis *add.*; artericia *M*; arteria *add.*

182. de *expunctuatum*

Tertia causa est quia arteria habet duas tunicas et est multum neruosa, uena autem habet unam tunicam solum et punctatur in neruo, generat spasmum.

185 Quarta causa est quia in arteria generantur spiritus qui non debent exire a corpore, quia quanto plus est de spiritibus in corpore, tanto uirtus est forcior.

Ad aliud dicendum quod in equis multum est de sanguine, quia multum inter cetera animalia habundant nutrimento, et quia sunt in continuo labore ideo per motum ebullit sanguis et subtiliatur et maxime in tempore calido. Et ille sanguis  
190 uenit ad collum et sui acumine appetit ibi uenam et sic minuunt sibi tales equi.

Postea queritur utrum natura possit se exonerare sudore sanguineo, quia sicut se habet prima digestio ad secundam, sic secunda ad tertiam. Sed nulla superfluitas /281ra/ prime digestionis expellitur per secundam, ergo sanguis qui est ex opere secunde digestionis, non potest expelli per tertiam digestionem, ergo non  
195 potest sudor esse sanguineus.

Propterea tertia digestio procedit de albando, ergo ex opere tercie digestionis non potest esse sudor rubeus, sed talis est sanguis ergo et cetera.

Propterea dicit Galenus quod materia grossa expellitur per secessum, materia sanguinea per fluxum sanguinis, materia colerica subtilis per sudorem, ergo  
200 sanguis numquam expellitur per sudorem.

Oppositum dicit philosophus quod in quibusdam hominibus fit sudor sanguineus propter caritatem corporis et debilitatem uirtutis.

Propterea Ysaac dicit quod si sudor sit cicrinus, adtestatur colere, si rubeus, sanguini, ergo sudor sanguineus est possibilis.

205 Ad hoc dicendum quod sudor sanguineus numquam fit a natura regulariter operante, et sic procedunt prime rationes. Potest tamen esse ex errore nature uel potest esse propter dolorem uel timorem nimium, ut in ipso quando passus fuit, uel debilitatem uirtutis et raritatem compositionis, et sic loquitur philosophus et Ysaac.

5. Hoc habito, queritur de epate, et queritur primo utrum generatur ex  
210 spermate uel ex sanguine menstruo, quia sicut dicit Haly, membra radicalia, si

---

185. tunicam M

uulnerantur, numquam considerantur. Sed epar, si uulneratur, numquam consolidatur, sed epar, si uulneretur, numquam potest consolidari, ergo epar generatur ex spermate.

Propterea dicit Auicenna quod ex sanguine generantur due ampule, et ex una generatur cor, et ex alia epar, ergo cum cor generetur ex spermate quare et 215 similiter epar.

Contrarium dicit Constantinus quod epar non generatur ex spermate sed est sanguis coagulatus.

Item epar est rubeus sicut sanguis, ergo generatur ex sanguine.

Ad hoc dicendum quod epar generatur ex spermate, unde si decoquatur, fiet 220 album sicut alia membra. Constantinus autem dicit quod generatur ex sanguine, quia est debiliter coagulatum sicut sanguis.

Iusta hoc queritur quare epar est semper rotundum et splen in animalibus ruminantibus est rotundum, in aliis autem est oblongum.

Et quare epar situatur in destra parte. 225

Et quare fedus color adtestatur epati plusquam alii membro.

Et quare epar hominis plus adsimilatur epati tauri, sicut dicit philosophus, quam alteri animali.

Et quare uena magna circumuoluitur in epate plusquam uena adorti.

Ad primum istorum dicendum quod epar est propter esse animalis, generat 230 enim quattuor humores ex quibus nutriuntur omnia membra animalis, et propter hoc epar in omnibus animalibus est rotundum ut melius digeratur et utrum magis agregetur in id ipsum. Sed splen est propter bene esse ad mundificandum sanguinem ex melancolia, et propter hoc in animalibus ruminantibus est splen rotundum, quia in nutrimento eorum est multum de impuro et indiget magna 235 depuratione. In animalibus autem comedentibus carnes et non ruminantibus nutrimentum magis asimilatur corpori et minus est illi de puro, et ideo epar in illis

---

215. generatur *M*



est oblongum quia non requiritur tanta depuratio in nutrimento eorum sicut in ruminantibus.

240 Ad secundum dicendum quod epar hoc facit stomacho quod ignis caldario, quia digestio stomachi plus uiget in destra parte, epar situatum est in destra parte ad confortandum digestionem in stomacho.

Secunda causa est quia epar reccipit influenciam a corde, situs autem cordis est in sinistra, influencia autem in destra.

245 Ad tertium dicendum quod quidam est calor in cute radicalis et ille est albus, quidam est qui generatur ex sanguine ueniente sub cute, unde si sit color rubeus, pulchre adtestatur bone digestioni et bonitati epatis, si fedus color adtestatur malicie epatis.

Ad aliud dicendum quod uena magna defert sanguinem, et propter hoc  
250 reuoluitur per epar quo mediante generat sanguinem. Sed uena adorti defert spiritus et calorem, et quia spiritus non generantur in epate, uena adorti non circumuoluitur per epar.

Ad quartum dicendum quod taurus est animal multi nutrimenti, et propter hoc oportuit quod haberet bonum epar ad hoc: quod posset digerere tantam  
255 copiam nutrimenti. In homine requiritur bonitas epatis propter bonitatem digestionis sicut in tauro propter quantitatem nutrimenti grossi, et ideo magis, et cetera.

**6.** Postea queritur de pulmone, et primo de eius complexione.

Secundo de eius generatione.

260 Tertio de eius motu.

Circa primum sic: omne quod dicitur ab alio atestatur illi a quo deciditur, sed superfluitates que deciduntur a pulmone sunt flegmatice, ergo pulmo est complexionis flegmatice.

Propterea dicit Haly quod ad membrum simile properant egritudines  
265 consimiles, ut ad membrum colericum colerice, et ad flegmaticum flegmatice. Sed pulmo, ut plurimum, patitur egritudines frigiditatis, ergo pulmo est flegmaticus.

Contrarium dicit Auicenna quod pulmo radicaliter est colericus, accidentaliter est flegmaticus.

Pulmo est porose substantie, sed colerica complexio maxime est porosa, ergo pulmo est colericus. 270

Propterea dicit philosophus quod natura semper ordinat unum membrum contrarium quam alium ad reprimendum ipsum, ut cerebrum contra cor. Sed multe /281rb/ humiditates flegmatice delegantur ad pulmonem, ergo erit contrarie complexionis illis humiditatibus quare erit colericus, ut uidetur quod concedo propter rationes predictas. 275

Secunda causa est quia pulmo est in continuo motu et calidum est facile mobile.

Tertia causa est attractio aeris, quia attractio est a calido uacuo, a simili et a tota specie, sicut uult Auicenna.

Ad primum in contrarium dicendum quod superfluitates sunt in membro dupliciter: aut per uiam cognitionis, et tunc superfluitas adtestatur membro, aut deriuationis, et sicut humiditates flegmatice habundant in pulmone. 280

Circa secundum sic dicit philosophus: quod pulmo in principium est rubeus, sed membra radicalia sunt alba, ergo pulmo non est membrum radicale.

Contra dicit Auicenna quod uulnus in membro radicali non curari nec potest consolidari. Sed uulnus in pulmone non curatur, ergo pulmo est membrum radicale, quod concedo. Sed prius tempore generatur cor, epar et cerebrum, et postea pulmo. Ad rationem in contrarium dicendum quod pulmo in principium est rubeus non naturaliter sed accidentaliter propter habundanciam sanguinis. 285

Iusta hoc queritur quare ulcus in pulmone uix aut numquam curatur. Et quare ex eius ulcere sequitur ethica plusquam ex alio membro. 290

Queritur etiam de controuersia inter philosophum et medicum. Philosophus enim dicit quod pulmo est terminus caloris, medicus ponit cor tamen caloris.

Ad primum dicendum quod pulmo est membrum radicale et ideo uulnus non consolidatur. 295

Secunda causa est quod uulnera non sanantur nisi prius mundificentur.

Ad aliud dicendum quod una causa est quia pulmo ulceratum denegat cordi officium, et ideo superinflamatur calor in corde et sequitur consumptio humiditatis radicalis et fit ethica.

300        Secunda causa est uicinitas ipsius in situ ad cor, cum enim ulcus est in pulmone, generatur ibi sanies et concipit pulmo calorem innaturalem quia sanies partim fit a calore naturali et partim ab innaturali, et ideo et cor semper calefit et sequitur ethica.

      Tertia causa est quia ex sanie generato in ulcere resoluitur fumi horribiles  
305 ad cor, et ibi inflamantur et diuiduntur per totum corpus et consummunt humiditates totius corporis, et sequitur ideo ethica.

Ad aliud dicendum quod pulmo est terminus caloris distinctus, et sic loquitur philosophus. Sed cor est terminus formalis caloris in essendo, et sic loquitur medicus.

310        Circa tertium primo queritur utrum motus pulmonis sit a corde.

      Secundo utrum pulsus sit in homine et non in aliis animalibus.

      Circa primum sic dicit Haly: quod motus cordis et arterie est simul, sed hanelitus et pulsus non sunt simul. Nam si numquam ueniat hanelitus quandoque sunt multi pulsus, ergo motus cordis non est causa motus pulmonis.

315        Propterea dicit Constantinus quod omnis operatio que fit per lacertos et neruos, est animal. Motus pulmonis est huiusmodi, fit enim per neruos uenientes a cerebro qui iterum ad cerebrum reflectuntur, ergo motus pulmonis non est a uirtute uitali.

      Propterea omnis motus qui est retardabilis, est animalis et non uitalis. Sed  
320 hanelitum retinemus quando uolumus et non pulsum, ergo motus pulmonis non est a uirtute uitali.

---

297. qui *M*; quod *add.*

Contrarium dicit philosophus quod si aliqua forma predicatur de principio et principato, dicitur de principato per principium ut calor ignis dicitur, dicitur ignita per ignem. Sed cor est causa pulmonis, ergo motus cordis est causa motus pulmonis. 325

Ad hoc dicendum quod motus pulmonis compositum est ex uirtute animali et uitali, nam cor est principium mouens, lacerti et nerui sunt principium per quod mouetur.

Circa secundum sic: pulsus est propter calorem cordis euentandum, ergo cum in omnibus animalibus indigeat calor cordis euentatione, in omnibus 330 habentibus arterias erit pulsus.

Propterea sicut cor mediantibus arteriis euentatur per pulsum sic mediante pulmone per hanelitum. Sed in omnibus habentibus pulmonem est hanelitus, ergo in omnibus habentibus arterias est pulsus.

Contrarium dicit philosophus quod solum in homine est pulsus, et arguit sic 335 solum in homine est spes uel timor. Sed ratione spei et timoris est pulsus qui est motus cordis et arteriarum ad euentandum calorem cordis, et iste pulsus est in omnibus animalibus habentibus arterias, et sic procedunt prime rationes.

Et etiam quidam pulsus qui est idem quod suspirium, ut quando aliquis propter fortem cogitationem de re dilecta uel inimica diu retinet hanelitum, postea 340 subito fortiter hanelat, et iste hanelitus uocatur suspirium. Et talis pulsus est solum ratione spei uel timoris et iste solum in homine, et de isto loquitur philosophus.

Iusta hoc queritur quare pulmo auium diuiditur per multas partes, in homine autem per duas partes solum.

Quare etiam pulmo in auibus est siccus, in generantibus autem humidus. 345

Quare sanguis ueniens a pulmone est spumosus et multus et etiam sine dolore.

Et quare fluxus sanguinis a pulmone est mortalis.

---

323. dicunt *M*

346. quibus *lituratum et expunctuatum*; auibus *mg.*

Ad primum istorum dicendum quod una causa est quia homo habet cor  
350 magis /281ua/ calidum, et ideo indiget maiori euentatione. Pulmo autem non diuisus  
melius et plus retinet de aere quam diuisus. Et propter hoc in auibus fuit diuisus in  
multas partes, in homine autem in duas tantum, quia aues non habent cor ita  
calidum.

Secunda causa est quia aer quando transit per multos anfractus, non ita cito  
355 peruenit ad cor et cita penetratio requiritur in homine.

Tertia causa est quia homo est animal humidius quam auis, unde  
humiditates in homine impediunt figurationem pulmonis in minutas partes.

Ad aliud dicendum quod pulmo in ipsis de radicali complexione est  
colericus, et aues sunt colerice, et ideo pulmo in ipsis est siccus, in generantibus  
360 autem est humidius.

Ad aliud dicendum quod, sicut dicit Galenus, super anfractos spuma uno  
modo causatur ex agitatione, et sic causatur in undis maris ex agitationem  
uentorum.

Alio modo causatur ex ebullitione ut patet in aqua buliente.

365 Tertio modo generantur amppule in aqua pluuiali que sunt signum  
longitudinis pluuię et omnes iste conueniunt in pulmone, est enim in continua  
agitatione cum sit uentilabrum cordis, sicut dicit Agustinus. Iterum prope fontem  
caloris cum sit prope cor et calor facit ebullire. Item multe humiditates delegantur  
ad pulmonem quia est continuo motu et aer ueniens per arterias subintrat illas  
370 humiditates, et ideo sanguis spumosis uenit a pulmone.

Ad aliud dicendum quod multus uenit propter subtilitatem et ebulationem  
sanguinis in arteria.

Secunda causa est uicinitas cordis in quo est habitaculum sanguinis. Cor  
enim per compassionem continue transmittit sanguinem ad pulmonem, sine dolore  
375 uenit quia pulmo non habet neruos, et ideo insensibilis et dolor est sensus rei  
contrarie.

---

352. diuisis *M*

Ad aliud dicendum quod fluxus sanguinis a pulmone est mortalis quia idem sequitur ethyca et postea mors, unde iste est ordo, sicut dicit Alexander, quod ex reuante generatur tuussis et ex tuussi ruptura uene et ex ruptura uene generatur emothosea et ex epytemate sanies et ex sanie ulcus et ex ulcere ethica et ex ethica mors. 380

---

379. ruptura, emothosea *expunctuatum*



## LIBER XV

### Questio prima

*Et iam narrauimus dispositionem membrorum animalium et cetera.*

Circa quintum decimum librum generaliter duo sunt inquerenda.

Primum est de diafragmate.

Secundum est de membris nutritiuis. 5

1. Circa primum queritur primo cum nulla inter regionem sit pellicula diuidens inter illas regiones, quare pellicula sub diafragmate sit maior inter alias.

Queritur etiam quare circa latera et coxas ista pellicula diuidens est spissa magis et grossa, circa autem medium est magis tenera et subtilis.

Quare etiam mouet intellectum per sui tactum cum intellectus nullius partis corporis sit actus. 10

Quare etiam est maximi sensus et doloris ita quod eius tactu magno fit sufocatio.

Quare ex eius tactu ut subascellis prouocatur risus.

Et quare si fiat titilatio in uola manuum uel pedum uel subascellis, prouocatur risus. 15

Quare solus homo ridet et non alia animalia.

Et quare naturaliter in pueris est risus, in senibus autem tristitia.

---

1. questio prima *mg.*



Et quare tactus in se ipso non prouocat risum, in alio autem prouocat risum.

20 Quare splen est causa risus.

Epar autem amoris.

Et cor est causa sapientie.

Fel autem causa ire et tristicie.

Pulmo loquele.

25 Vt habetur per istos duos uersus:

*cor sapit, pulmo loquitur, fel commouet iras,  
splen ridere facit, cogit amare iecur.*

Quare ex actibus indecentibus siue multum noceant uel ledant, magis prouocatur risus.

30 Quare etiam unus risus prouocat alium risum.

Quare unus etiam risus uel leticia sunt causa risus, fletus uel tristicia similiter, cum tristicia et leticia sint opposita et nihil unum et idem sit simul causa oppositorum.

35 Quare uuula diuidit inter regionem animalem et uitalem, diafragma inter naturalem et uitalem, sifac inter nutritiuam et generatiuam.

Quare diafragma omnibus aliis pelliculis est forcior et durior.

Dicendum quod diafragma separat uitalia a nutritiuis.

40 Et quia in regione uitali est cor quod est membrum nobilissimum ad hoc, ut bene conseruet membrum spiritualia, oportet quod sit fortis compositionis et sit ista pellicula spissa et dura maxime. Cum hec membra sint prope stomachum, ubi reccipitur crudum indigestum, in lacertibus est spissior quia oritur ab utroque latere, et ideo uersus radicem suam est grossior.

45 Secunda causa est quia in stomacho latere est gibus epatis. In sinistro est spen, et ideo, ut melius conseruat ista membra, est spissior in lateribus quam in medio.

---

28. multu *M*

34. Ad primum istorum dicendum *lituratum*; 35. cat- *addit*

41. indigestiuum -iuum *expunctuatum et addit -um*

Ad aliud dicendum quod hec pellicula maior est inter alios, et ideo multum sibi compaciuntur pellicule cerebri a quibus oriuntur nerui sensitiui, et ideo multi sensus et magni dolores, quia est prope cor, dolor est sensus rei contrarie. Eius autem tactus prouocat risum, quia est prope cor in quo radicanatur accidentia anime. /281ub/ Alia causa est quia est optimi sensus, et ideo fit titilacio in tactu eius, et inde 50 sequitur risus et similiter in subascellis quia ibi est emunctorium cordis et caro glandulosa que multum communicat cum diafragmate.

In uola manus quia ibi est caro temperata et optimi sensus. In plantis pedum quia ille locus est inconsuetus ad tactum, et ideo, quia membra propria assueta tangi unum ab alio, tactus proprius non causat risum sed alienus. 55

Secunda causa quia ex eadem radice sunt uel oriuntur omnia membra eiusdem corporis.

Ad aliud dicendum quod sanguis magis purus et mundus est in homine quam in aliis animalibus, et ideo plus sibi apropiatur risus.

Et plus pueris et iuuenibus, quia habent sanguinem puriorem. 60

Et senes quia habundant melancolia que est causa tristicie, et per hanc uiam est epar causa amoris, quia est sanguineus, et quia est causa efficiens sanguinis. Splen autem est causa risus per accidens, quia mundificat sanguinem a melancolia que est causa tristicie. Cor autem causa sapientie est quia in corde generantur spiritus qui sunt media sapientie et cognitionis in homine. Fel autem commouet 65 iras quia continet coleram, et colera generat iram et audatiam magis. Cum sit nimis amara ita, scilicet, quod colerici habent maniacam confidentiam, sicut dicit Haly et Galenus, ex risu sequitur feltus per dillatationem cerebri sicut ex dolore per compressionem.

Et nota quod actus inordinati sunt causa risus quia sunt inconsueti. 70

2. Postea queritur de secundo scilicet de membris nutritiuis.

Queritur quare aues et pisces non masticant.

Et quare generaliter ruminantia habent quattuor uentres.

---

48. dolori M

- Et quare etiam in auibus est duplex stomachos scilicet molla et papa.
- 75 Quare papa non est in piscibus.
- Et quare est in quibusdam animalibus et in quibusdam non sicut in ardea.
- Quare in piscibus est stomachos paruus et senssibilis.
- Quare stomachos paruus primum, sicut papa, est tener et mollis, serus durus sicut iecur.
- 80 Quare stomachos in auibus rotunde figuratur.
- Quare etiam in cane est stomachos paruus.
- Et quare magis ei asimilatur stomachos hominis.
- Et quare intestina in cane incipiunt ab arto in amplum, in homine autem et in aliis animalibus est e contrario, quia procedunt ab amplo in artum.
- 85 Quare intestina hominis et in quibusdam aliis animalibus sunt †uidentur numero solum†.
- Et quare stercus non inuenitur in piscibus.
- Vel quare pisces non egerunt.
- Quare in piscibus requiritur membrum repletum uentositate quod uocatur
- 90 bastio †uidetur nouem†.
- Quare in quibusdam animalibus sunt stercora dura in forma pilule ut in soricibus, in aliis uero mollis substantie et compositionis.
- Quare etiam in homine egestionis sunt citrine et in cane est egestio dura et alba, in bouis et uacis est uiridis, in auibus nigra introrsum et in superficie alba, in
- 95 capra nigra.
- Ad primum istorum dicendum quod aues non masticant quia non habent dentes, et causa huius est quia habent os in longum, et ideo nimis oblongatur in capite.
- Iterum est gracile, et si essent dentes, essent inutiles, quia non est ibi locus
- 100 ubi posset retineri cibus. Pisces similiter non masticant quia aqua penetraret ad cor.

---

78. primum *mg.*

94. bobus *M*; bobuis *add.*

97. oblongatur *M*

Secunda causa est quia sunt animalia gulosa et statim adtrahit stomachus.

Tertia causa est quia sunt animalia nimis frigida et flegmatica, et ideo indigent cibo ualde digesto quia non potest eorum stomachos digerere ultra flegma sed est totum flegma quod ab eis digeritur. In ruminantibus est nutrimentum ualde grossum, et ideo habent quattuor uentres. 105

Primum ad continendum cibum ut in tempore quietis redducant ad hos et ruminant.

Secundum stomachum ut indigestio incipiatur.

Tercium stomachum ut ibi medietur.

Quartum autem habentem ut ibi compleatur. In auibus autem stomachum 110 papa loco dentium quia non habent dentes.

Secunda causa est quia sunt uelocis motus et nimia repletio in stomacho impedit eas in uolando.

Tertia causa est quia aquirunt sibi cibum uel nutrimentum cum labore et pena ut ibi reseruetur cibus et atrahit stomachos in tempore necessitatis. In 115 piscibus non est papa quia habent dentes et quia non indigent tanta digestionem sicut aues.

Alia causa est a parte obiecti quia habent nutrimentum magis digestum, unde in auibus magnis que uiuunt de rapina, cum sint nimis calide et fortes, quia habent nutrimentum magis digestum et cibum possunt aquirere quando uolunt, 120 cum sint fortes, non est papa, sicut in ardea et falcone et in quibusdam aliis. In piscibus autem est paruus stomachos, quia pisces extenduntur in longum, et ideo non possunt habere amplum stomachum.

Secunda causa est quia non digerunt magna digestionem, papa est mollis et tenuis in auibus ut minus ponderet et non impediat aues inuolando, et quia non 125 digerit cibum, sed parum remittit et preparat. Ad hoc quod digeratur postea in secundo stomacho, secundus stomachos est durus ut melius digerat et conuertat nutrimentum in coleram, cum /282ra/ aues sint colerice uel iocunde figure, ut minorem locum occupet uel teneat, et quia figura rotunda est capacissima. In cane

130 autem est stomachos paruus, quia multum de puro est suo nutrimento, cum uiuat  
nutrimento ex eodem cum homine. Et ideo stomachos hominis assimilatur  
stomacho canis quia canis ordinatur ad hominem ad custodiam et ad morem. Vnde  
sicut ruminancia habent magnas uentres, propter paruum nutrimentum, sic canis  
habet paruum uentrem propter bonum nutrimentum.

135         Secunda causa est quia canis est animal gulossum, unde si haberet magnum  
stomachum, tantum comederet quod interficeret se. Eadem causa potest reddi in  
piscibus. Intestina canis incipiunt in artum ab amplo ut cibaria non cito exeant ab  
intestinis, sed expectent tempus digestionis quia si essent e contrario, cum multum  
accipiant de cibo, esset canis in continua diaria uel fluxu uentris, quod idem est.

140 Duo paria sunt intestinorum in homine. In gracilibus digeritur superfluum in quo  
multum est de puro et necessario membris, in grossis digeritur materia que debet  
expelli. Et ideo sunt tria gracilia: in primo prima digestio inchoatur, in secundo  
mediatur, in tertio completur. Eadem ratione sunt tria grossa.

       Stercus non inuenitur in piscibus quia non digerent nutrimentum tantum, ut  
145 inde possit fieri stercus, multum habebit de amaro. Quia quod est subtile, atrahitur a  
membris ratione dulcedinis, quod autem est grossum, repudiatur a natura et  
transmititur tamquam amarum ad cistinfelis. In animalibus que multum potant, sunt  
egestiones liquide, in aliis autem que parum uel nihil, dure. Membrum autem  
plenum uentositate est in piscibus ut melius rare natent, sicut uestice ponuntur  
150 pueris addiscentibus natate. Et hoc uult etiam philosophus. Ad aliud patet solutio in  
*Pronosticis*.

---

142. quo *M*; primo *add.*

144. digeret *M*

## **Questio secunda**

### ***Et modo incipiemus ad dicendum de spermate et cetera.***

Circa precedencia restant tria generaliter inquerenda, et primo de complexione egestionis.

Secundo utrum stomachos nutriatur ex chilo. 5

Tertio de felle.

1. Circa primum sicut dicit Galenus quod omne, quod deciditur ab aliquo, adtestatur illi a quo deciditur. Sed chilus est flegmaticus, et egestio que est superfluitas chili, est flegmatica.

Propterea egestio expellitur ut mundificetur sanguis est calidus, ergo egestio 10 erit frigida et sicca.

Propterea sicut dicit Ysaac, complexio sequitur materia et sapor complexione, sed materia egestionis e terrestris sicut materia urine est aquositas, sed materia terrestris est frigida et sicca, ergo egestio erit frigida et sicca.

Contrarium dicit Auicenna quod omnia stercora animalium calefaciunt et 15 disicant.

Propterea omne quod nutrit per naturam dulcedinis et propter hoc, repudiatur stercus a natura quoniam est amarum. Sed amarus sapor radicatur in calido et sicco, ergo egestio est calida et sicca.

Ad hoc dicendum quod complexio uno modo datur a materia et sic egestio 20 esset frigida. Alio modo datur ab efficiente ut lac generatur ex sanguine calido et pinguedo. Sunt tamen frigida ratione efficientis, quia generantur a debili calido, et

---

1. questio secunda *mg.*

13. terrestris *M*

sic cum omnis urina et egestio generetur a forti calore utroque istorum, est calidum et siccum.

25 Tertio modo datur complexio per commistionem et sic stercus et urina sunt calida et sicca ratione colere, que cum ipsis miscetur quamuis egestio, in quantum est de materia terrestri, debeat esse frigida et sicca. Per hoc patet solutio ad argumentum.

Ad primum tamen respondeo et dico quod egestio non est inmediate ad  
30 depurandum sanguinem sed chilum, et quia chilus est frigidus et humidus, ideo egestio est contrarie complexionis calida et sicca.

2. Iusta hoc queritur de chilo quod est secundum. Circa secundum sic proceditur: ultimum nutrimentum corporis est sanguis, sed chilus non est sanguis, ergo non est nutrimentum stomachi.

35 Propterea in habentibus ordinem, destructo priori, destruitur posteriorius, ergo cum chilus non transeat per secundam digestiuam, non erit obiectum tercię, ergo chilus non nutrit stomachum.

Contrarium autem dicit Ysaac quod stomachos atrahit a chilo partem que sibi conuenit.

40 Propterea dicit philosophus quod animalia non sanguinea nutriuntur ex non sanguine, sed stomachus non habet sanguinem, ergo stomachos non nutritur ex sanguine sed ex chilo.

Propterea dicit Auicenna quod nutrimentum deperditum restaurat, uirtutem confortat et calorem augmentat, sed chilus hec omnia facit in stomacho, ergo chilus  
45 est nutrimentum stomachi.

Ad hoc dicendum quod quoddam est nutrimentum conuersionis, quod ordinate procedat per omnes digestiones, et de tali loquendo, chilus non est nutrimentum stomachi. Et etiam est quoddam nutrimentum quod generatur per continuam actionem, sicut e flegmate fit sanguis in qualibet parte corporis, sic dico

---

23. omnis *M*

27. terestri *M*; 32. quod *M*; secundum *add.*

quod chilus potest nutrire stomachum, potest enim ex chilo per continuam 50  
actionem facere sanguinem et inde ros, cambium et glutinum, et sic potest nutriri.

Alii dicunt /282rb/ quod stomachos nutritur ex chilo quantum ad tunicam  
interiorem, sed non quantum ad exteriorem.

Alii dicunt quod stomachos nutritur ex chilo nutrimento refocilationis, sed  
non nutrimento conuersionis. Per hoc patet solutio ad argumenta. 55

Et inde attrahit quod mica panis in uino leuat sincopante et si sumantur in  
hore, per odorem enim refocilantur spiritus in hore, et sic conualescunt et cessat  
sincopa. Si autem mica panis sit in stomacho, tunc maxime releuat quia cor est  
prope stomachum.

Iusta hoc queritur quare colera inter alios humores separatur maxime a 60  
sanguine.

Et quare colera transmittitur ad stomachum per inferiora, melancholia autem  
per superiora.

Quare non est aliquis humor confortans retentiuam, cum melancholia  
confortet appetitiuam, colera autem digestiuam et expulsiuam. 65

Et propter quid receptaculum colere est medium, melancholie autem est  
magnum et longum.

Et quare colera situatur in epate in cistifelis que est in epate, melancholia  
autem extra in splene.

Quare etiam pisces non habent coleram in epate sicut alia animalia. 70

Et quare epar piscium est magis saporis nutrimenti quam aliorum animalium.

Ad primum istorum dicendum quod nutrimentum, in quantum dulce, nutrit  
et quia colera est amara, plus separatur a sanguine et respuit ipsam naturam plus  
quam alios humores.

Colera autem ratione sue complexionis, cum sit calida, confortat digestiuam 75  
ratione sui accuminis, quia modificat intestina, confortat expulsiuam. Ad partem

---

53. quan *M*; 66. medicum *M*

73. natura *M*; 76. modicat *M*



superiorem delongatur melancholia, quia ibi uiget maxime appetitiua. Et appetitiua et retentiua ab eodem humore confortantur, quia retractiua uiget per frigidum et siccum sicut appetitiua.

80 Alii dicunt cibi non debent retineri diu in stomacho, et ideo non fuit aliquis humor confortans retentiua.

Ad aliud dicendum quod plus de colera retinetur in felle quam de melancholia in splena, quia fel est concauum et rotundum non splen, licet nimis sit in quantitate quam splen, ne noceat epati. Non autem sic oportuit de splene, quia  
85 situatur in opposito latere, et ideo fuit rotunde figure fel, quia rotunda figura inter omnes est capacissima.

Ad aliud dicendum quod melancholia magis repugnat principiis uite et complexioni epatis, cum sit frigida et sicca, quam colera, et ideo fel in eadem parte fuit situatum cum e pate. Splen autem in opposito latere et in membro uel in  
90 receptaculo proprio.

Secunda causa est quia colera iuuat digestiuam, cum sit calida, melancholia autem non, sed potius impedit.

In piscibus reperitur colera amara quia nutriuntur ex nutrimento flegmatico et respunt contrarium, scilicet porcionem colericam que ualde est amara. Et hac de  
95 causa non habent coleram circa epar sicut alia animalia.

Et ideo epar in piscibus est sapidi nutrimenti quia non habet aliquam admistionem colere que est amara.

**3.** Circa tertium queritur primo utrum fel possit causare egritudinem accutam quia, sicut dicit Galenus, morbus accutus aut quia accuitate aflagit, sed  
100 utrumque, aut quia cito interfficit, aut quia continue aflagit. Sed utrumque istorum potest facere existens in felle, ergo potest causare accutam egritudinem.

Propterea dicunt actores quod fortis terciana aliquando est accutiua, sed colera existens in fele potest facere fortem tercianam, ergo potest facere accutam.

Contrarium dicit philosophus quod fel non est causa accutarum  
105 egritudinum, et hoc probat sic: accuta egritudo est quando materia dispergitur per

stomachum, epas et pulmonem. Materia que est in felle, non sic dispergitur, ergo non potest causare accutam.

Secunda eius ratio est talis, quibusdam hominibus in quibus non est fel acrait egritudo accuta, ergo fel non est causa egritudinis acute.

Ad hoc dicendum quod quedam est accuta que fit ex materia dispersa per minimas uenas in pulmone, epate et stomacho. Et hec non potest esse materia in felle causa coniuncta, licet possit esse accidens. Et de tali accuta loquitur philosophus. 110

Alio modo dicitur accuta quia affligit acute et continue aut in breui tempore interficit. Et sic potest esse fel causa acute egritudinis. Et sic procedunt rationes in oppositum. 115

Iusta hoc queritur quare superfluitas impuritatis ut stercus et urina numquam facit febrem, superfluitas autem residuitatis quandoque facit febrem.

Ad hoc dicendum quod una causa est quia putredo uiget per calidum et humidum. Sed superfluitas impuritatis est terrestris, frigida et sicca. 120

Secunda causa est quia in putredine febrili requiritur ebulitio et permistio puri cum impuro. Sed superfluitas impuritatis non potest ebulire, cum sit grossa et terrestris, non potest fieri permistio puri cum impuro, quia nichil est enim de puro, et ideo et cetera.



## LIBER XVI

**Quidam habent principium huius XVI libri solum hanc litteram. *Iam declarauimus uirtutes et omnes substantias et cetera.***

### **Questio prima**

***Iam declaramus superius quod natura feminarum est debilis et cetera.***

Circa XVI librum generaliter inquiruntur duo. 5

Primum est de sexu.

Secundum est de principiis inrantibus substantiam fetus ut de spermate de menstruo sanguine.

**/282ua/** Circa primum quattuor queruntur.

Primum est de neccessitate sexus. 10

Secundum est de eius quidditate.

Tertium de distinctione et confusione sexus.

Quartum est de proprietatibus et primo de naturalibus.

Secundo de moralibus.

**1.** Circa primum arguitur, sicut scribitur in secundo *De anima*, quod 15 unumquodque indiuiduum erat corruptibile. Conlata est ei uirtus generatiua ut

---

1. Quidam habent principium huius XVI libri solum hanc litteram. *Iam declarauimus uirtutes et omnes substantias et cetera in inferiori margine et alia manu;* 3. questio prima *mg.*  
5. duo *mg.*

saltem in simili specie conseruetur, ergo cum generatio sit contra corruptionem, cum corruptio insit omnibus per naturam communem quia sunt ex contrariis, ergo generatio inerit eis per naturam communem. Sed in elementis et mistis est uirtus  
20 generatiua siue sexus, ergo et in uiuentibus.

Propterea dicit philosophus in quarto *Methaurorum* quod unumquodque tunc est perfectum, cum potest sibi similem inesse producere, ergo cum omnia uiuentia sint magis perfecta in mistis et elementis, ergo generatio erit in eis magis intrinseca. Sed illa generant sine sexu ergo uiuentia.

25 Propterea dicit philosophus in principio quinti decimi quod mas habet potenciam generandi in alio, femina autem in se ipsa. Sed hec potentia est tam in elementis quam in mistis et quam in uiuentibus, ergo et generatio sic erit in elementis mistis et uiuentibus.

Ad primum est philosophus qui dicit quod solum sexus est in uiuentibus, in  
30 plantis confusus, in animalibus autem distinctus.

Propterea dicit philosophus in quarto decimo quod quanto quid est nobilius tanto ad ipsum plura media requiruntur. Sed nobilior est generatio in uiuentibus quam in elementato uel misto, ergo ad primum plura media requiruntur. Hec autem non est nisi sexus ergo et cetera.

35 Tunc queritur quare siue propter quid uirtus generatiua in plantis non potest operari in plantis nisi per sexum sed in elementis et mistis sine sexu.

Ad primum istorum quod generatio materialiter est quedam per transicionem huius in hoc, et in hac idem est generans et generatum, et hoc est genera supra naturam. Et est generatio per quam multi eterna et fit mediante quia  
40 idem est generans et generatum. Aut est generatio per quam multiplicationis ut superiora generant calorem et lumen in istis inferioribus. Sed quod dicitur quod omnis passio magis facta abicitur a substantia, et hoc modo generat omne inferius quod cum agit patitur. Sed istud generans aut dat materia disposita formam ut

---

19. impedit *M*; 20. uiueibus *M*

27. uiueibus *M*; 36. in *add.*

39. mediate *M*

generans per propagationem. Aut supposita materia disposita reducat in ipsam  
 formam de potentia in actum, et hec est per conuersionem. Prima est in uiuentibus, 45  
 secunda in elementis et mistis, quia ergo prius est dare materiam et formam quam  
 materiam disponere et formam in actum reducere. Iterum quia generans uiuens dat  
 formam que est in qualibet parte tota, simul nec extenditur nec patitur secundum  
 extensionem materie per essentiam. Sed est illa et alia per naturam uirtutis. Forma  
 enim elementorum est eiusdem nature in toto et in parte, et est materialis, 50  
 extensibilis et particularis secundum extensionem materie. Multum etiam est  
 materialis, et de facili sine sexu potest imprimi. Sed in uiuentibus non est sic, et  
 ideo requirit medium. Hoc autem est sexus, et ideo sequitur sexus in uiuentibus.  
 Per hoc patet solutio ad illud, quod querebatur quod non est simile de uia  
 generationis et corruptionis. Via enim corruptionis est inordinata, sed uia 55  
 generationis, cum sit ordinata, requirit mediorum multitudinem, et ideo plus  
 requiritur ad generationem quam ad corruptionem. Licet ergo generatio sit in  
 omnibus per eandem naturam, non tamen generato immo secundum quod nobilius  
 est, requiruntur plura media. Secunda causa est quia cum elementum generat unam  
 formam numquam unam generat quando alteram corrumpat. Sed in animalibus est 60  
 ista generatio, quod numquam est sicut alterius corruptio. Cum enim ex  
 consimilibus fiant officialia, consimilia non corrumpuntur sed manent in  
 officialibus. Et hoc est quoniam in formis habentibus ordinem semper posterius  
 supponit prius, in elementis autem non sic est, quare possibile est duas formas  
 contrarias ibi esse, et ideo et cetera. 65

Ad aliud dicendum quod mas generat in altero. Aut generat quantum ad  
 totum, aut generat quantum ad partem. Quod igitur mas generet in altero, hoc  
 intelligendum est ratione forme ultime, unde hoc est uerum impressiue et effectiue.  
 Sed quod elementum habeat potentiam generandi in altero, hoc est effectiue et non  
 impressiue, quia nichil imprimit, nec aliquid ibi de suo ponit, sed solum efficit, 70

---

42. abicit *M*; 59. urina *M*; unam *add.*; 60. unum *M*

66. mas *add.*; 67. quan *M*

quia uitam formalem efficit et aliam corumpit, et ideo equiuocatur primo generandi.

2. Circa secundum arguitur ne, sicut dicit philosophus in fine primi *Phisicorum*, ex non substantiis impossibile est substantiam fieri sed ex mare, cum  
75 femina fit substantia et femina substantia et sunt extrema sexus, ergo femininus sexus erit substantia.

Propterea dicit philosophus in *De morte et uita*, omnis causa nobilior est suo  
/282ub/ causato uel equali. Sed si sexus esset accidens, sexus esset ingnobilior causa, sed hoc est conueniens, ergo sexus est a substantia.

80 Ad oppositum arguitur, sicut dicit auctor *De motu cordis*, quod actuum quidam sunt primi, ut uiuere est actus primus anime et exit immediate ab essentia anime. Quidam autem sunt actus secundi et isti egrediuntur a presentia anime mediante uirtute, ut uidere ab anime substantia egreditur mediante uirtute uisua. Ergo cum generare sit anime et non actus primus, quia si sit numquam cessaret et  
85 intra se terminaretur, quod est falsum, ergo generare egreditur ab anima mediante uirtute. Sed illud quod est medium istius exitus, nichil aliud est quam sexus, quare sexus erit uel exit mediante uirtute, igitur sexus erit uirtus uel in genere uirtutis. Sed omnis uirtus est de genere accidentis, ergo sexus erit accidens.

Propterea dicit philosophus in sexto *Topicorum* quod si aliquid commune  
90 diffiniatur ex pluribus partibus, partes diffinitionis idem sunt in essentia cum diffinito e contrario. Si sexus potentia generandi, ergo sexus est potentia, sed potentia est uirtus, sicut dicit Aueroy, ergo cum potentia sit accidens, manifestum est quod potentia erit accidens, dato quod sexus sit uirtus.

Queritur secundo utrum sit actiua uel passiuua uel utraque, et arguitur sic:  
95 uirtus sexus ordinatur ad generationem tertii. Sed generare est agere, ergo hec uirtus simpliciter est actiua.

---

80. actor *M*; 94. utroque *M*

Propterea dicit Algabzel in *Mephaphysica* quod uirtus generatiua nobilior est inter omnes uirtutes, et ideo habet delectationem intensiuam suo opere. Sed ita nobilitas non esset in isto opere, nisi esset simpliciter actiua, ergo et cetera.

Ad oppositum est philosophus dicens quod mas est uirtus actiua, femina 100 uero passiuua. Mas enim dat uirtutem, femina uero materiam, ergo cum forme sit solius agere et materie proprie pati, sexus masculinus est tantum actiuus, femeninus autem tantum passiuus quare et cetera.

Propterea dicit philosophus quod mas et femina sunt contraria. Sed unum contrarium aproximato suo contrario agit et patitur ab ipso, ergo mas et femina 105 utrumque patitur unum ab altero et agit, quare et cetera.

Ad primum istorum dicendum secundum philosophum et Haly quod uirtus generatiua est ramis uirtutis naturalis. Naturalis enim diuiditur in cibatiuam et augmentatiuam et generatiuam. Sed hec generatiua supponit cibatiuam et augmentatiuam. Et quia omnis uirtus generaliter est qualitas uel accidens, ideo, 110 sicut uirtus digestiua est accidens, sic nichil aliud est quam decursus anime supra corpus. Sic dico quod hec influencia uenit ab anima uegetatiua, et simpliciter hec uirtus est accidens, unde omnis uirtus est accidens.

Ad primum dicendum quod, cum dicit philosophus, quod †ex no... ex substantiis et ... ex termine† materialiter. 115

Propterea dicit terminum principii proximi ad principium. Vnde sicut quodlibet compositum est materia et forma, sic omne conceptum est ex spermate et menstruo sanguine. Sed igitur sexus sit ex mare et femina ex ... dicit causam efficientem et non materialem, prima dicit principium remotum et non proximum uel coniunctum. 120

Ad aliud dicendum quod omnis substantia nobilior est quolibet accidente manante ab illo ita operatio anime intellectiue nobilior est quolibet accidente

---

109. a *expunctuata*

118. feminali *M*; 119. proximum *M*

122. illio *secunda -i- explunctuata*



corporis. Sed fluxus ab aliquo duplex est: aut tamquam a principio primo, et sic non fluit generatio a sexu, aut in ratione medii, et sic generatio exit a sexu.

125 Ad aliud dicendum quod sexus aliquando accipitur concrete secundum quod diuidi uidetur per marem et feminam, et sic substantia est in ratione substantie in qua est. Alio autem modo abstracte prout est in uirtute generatiua, et sic est accidens et non substantia.

Ad aliud dicendum quod nulla uirtus naturalis est ita actiua, quin aliquo modo sit passiuua. Cum enim omne agens naturale agat per contrarium et omnis talis actio coniuncta non sit sine passione, ideo et cetera. Quia omnis actio est coniuncta cum passione, ideo sexus nec principaliter est actiuus nec passiuus. Sed actiuus principaliter est in mare, passiuus principaliter in femina.

Ad aliud dicendum quod materia duplex est quedam que est materia tantum et hec ita patitur, quod nullo modo agit. Alia est materia que non est materia tantum, sed iam habet formam et talis materia est femina, et ideo et cetera.

Circa tertium queritur quare primo de distinctione et queritur primo utrum isti duo sexus possint concurrere in id ipsum.

Secundo propter quid iste cursus est in plantis, distinctio uero est in animalibus.

Tertio utrum hec distinctio sit in omnibus animalibus uel non.

Quartum utrum /283ra/ diuersificet speciem.

Quinto propter quid confusio est in animalibus, in aibus siue ergo promiscuum.

145 Sexto quare in quibusdam sexus declinat ad sexum masculinum, in quibusdam uero ad sexum femininum.

Septimo propter quid generatiua habet organum, augmentatiua autem et digestiua non.

Et queritur etiam quare plus in animalibus et non in plantis.

---

131. coniuncta *M*; 133. ma *M*

Octauo propter quid ipsa organa differant in specie, animalia autem quorum 150  
sunt organa non.

3. Circa primum arguitur sic: dicit philosophus quod omne quod agit in  
contrarium, agit, ergo cum agens naturale agit in se ipsum, aget in contrarium. Sed  
contraria non paciuntur concursum et maxime contraria actiua et passiuua. Ergo cum  
mas et femina sint contraria, ut dicit, philosophus numquam mas et femina possunt 155  
concurrere.

Propterea in hermafrodito qui dicitur habere utrumque sexum, non est iste  
sexus concursus nisi per errorem nature. Ergo cum sexus in animalibus a plantis per  
naturam non concurrat, unde sexus in planta sic nec in animalibus.

Ad oppositum est philosophus in libro *De plantis* dicens quod ... 160

Propterea arguitur sic: omnis planta generat et in altero emitendo quod in  
plantis est confusus in qualibet parte, in animalibus autem distinctus est.

Propterea arguitur sic: omnis planta generat et in altero emitendo fructum in  
quantum generat, habet naturam maris, in quantum reccipit, habet naturam femine,  
ergo planta habet utrum sexum maris et femine. 165

Ad primum istorum dicendum quod sexus confusus et indistinctus a parte  
rei et a parte sexus est. In planta a parte rei, quia habet uirtutem generatiuam in  
qualibet parte et in toto, nec partem sibi determinat, sicut nec digestiua uel  
augmentatiua in corpore. Dicit enim philosophus in *De plantis* in secundo quod in  
plantis sol est sicut pater et in ratione agentis, terra uero sicut mater et in ratione 170  
patientis. Sed ista non habet naturam ueri sexus, sed solo modo proprietatem. Sed  
animal generaliter animam, que supra uitam requirit principium cognitionis, habet  
enim per tactum et gustum, ideo requirit medium per quod uiget uirtus cognitatiua,  
et ideo principium cognitionis est magis distinctum quam principium nutritionis, et  
ideo habet partem determinatam. 175

Ad argumenta autem dicendum quod contraria non fracta numquam possunt  
concurrere. Sed contraria fracta debent concurrere in omni actione naturali, sicut

---

155. nuquam M

natura maris confunditur a natura femine in plantis, sicut igitur in medio generato ex contrariis contrahitur mistum per confusionem eodem modo in plantis.

180 Ad uerbum respondendum est quod loquitur de actione que est in elementis que est per conuersionem et non per propagationem.

Sed tunc queritur de controuersia philosophi ad se ipsum. Hic et in fine *De plantis* dicit hoc: enim quod sexus est indistinctus. In fine *De plantis* dicit quod plantarum quedam sunt femine et quedam masculine.

185 Ad hoc dicendum quod sexus distinguitur: aut a parte rei, que est intus, et sic cum huiusmodi uirtus generatiua sit in qualibet parte, sic est distinctus in plantis. Aut a parte operationis secundum magis et minus, et sic est sexus distinctus in plantis, unde magis fecunda in ratione femine, aut minus in ratione maris. Aut a parte compositionis, ut debetur, aspere sunt mares, tenere autem habent naturam femine.

190 Aut a parte complexionis, ut magis calide et sicce sunt in ratione maris, magis uero frigide et humide in ratione femine.

Ad aliud dicendum quod differentia rei duplex est: quedam materialis et quedam formalis. Sexus, ut dicit philosophus in *Prima Philosophia*, differentia materialis est, et quia materia non diuersificat rei speciem siue rem in specie, ideo  
195 magis distinctus est a femina. In femina communicent in specie specialissima, ubi dicit ipse, quia igitur sexus differentia materialis est, ideo non potuit distinctionem nisi ratione materie ipsius. Materia autem propria ipsius sexus sunt organa sexus. Ideo organa differunt in specie ut organa uiri alia a muliebribus.

Circa sexum duo remanent inquerenda.

200 Primum est de duobus residuis circa distinctionem.

Secundum est de proprietatibus sexus.

Circa distinctionem primum queritur utrum femina intendatur a natura uel non.

205 Secundo propter quid confusio est in sexu, ut ergo promiscuum et cetera, quia supra querebatur.

---

202. disti- M

4. Circa primum sit uirtus, arguitur sic: fortis uirtus masculat, /283rb/ debilis uero feminat. Sed omnis defectus est extra naturam et extra intentionem eius, ergo et in femina.

Propterea dicit philosophus in sexto decimo quod femina est mas occasionatus, sed omnis occasio est extra intentionem nature, ergo et femina est extra intentionem nature. 210

Ad oppositum est philosophus in quinto decimo, qui dicit quod mas et femina intenduntur in animalibus, mas sicut principium formale, femina autem sicut principium materiale, et arguitur sic: natura intendit uniuersale per se, particulare uero per accidens. Ergo intendet illum sexum qui maxime operatur ad conseruationem animalis. Sed talis est femina, quia femina est mollis et fecunda, mas autem asper et durus ut scribitur in *De plantis*, ergo femina plus intenditur a natura quam mas. 215

Ad primum istorum dicendum quod natura duplex est: uniuersalis et particularis. Vniuersalis que debetur huic homini, quia homo pertinet huic animali, quia animal per se intendit uniuersale et per accidens particulare. Et hec non equaliter intendit marem et feminam eo, quod ipsis mediantibus conseruatur uniuersale, et sic loquitur philosophus in decimo quinto. Et est natura particularis, que intenditur propter saluationem speciei et hec per se intendit marem. Et quantum ad hanc naturam particularem femina semper est contra intentionem nature uniuersalis. Et ideo dixit philosophus quod femina est quasi mas occassionatus. 225

Ad aliud dicendum quod philosophus debet redere causas a parte nature uniuersalis, medicus autem a parte nature particularis. et ideo dixit Haly quod femina semper loquitur errorem et defectum.

Propter quid confusio est in sexu. 230

Ad hoc dicendum quod, sicut dicit philosophus, hec duo sunt genera, que sola nouit ratio nature. Masculus autem et femina per confusionem sunt in plantis sensibilibiter et exsencialiter. Distincte uero sunt in omnibus animalibus a parte rei,

---

230. propter quid confusio est in sexu *mg.*; 231. aliud *lituratum*

sed a parte sexus quandoque distincte, quandoque indistincte. Hec autem  
235 indistinctio quando oritur a parte rei, ut in animalibus uilibus, ut non sanguineus et  
in putredine generatis, hec autem habet confusionem et incertitudinem sexus, et  
oritur hec confusio a parte rei. Aut est confusio a parte proprietatis sexus uel  
quantum ad proprietates sexus. Vna enim est, quod mas debet esse maior femina  
generaliter in quantitate.

240           Secunda proprietas quod fit audatior et uigrosior.

Tertia quod femina paciatur et suponatur, mas uero agat et supponat. Et ideo  
in animalibus, in quibus iste conditiones confunduntur, sicut in passeribus, modo  
subcumbit femina, modo masculus. Item in rapacibus, quia maior est femina quam  
mas, ratione enim sexus habundat hoc indiuiduum, et ratione cuius magnificatur et  
245 temperamentum est in eo, ratione cuius fortificatur et defendit ipsum marem. Vnde  
defenditur ab illa quod est contra naturam maris. Et ideo quoniam hec conditio uel  
confusio fit maxime in auibus et maxime in rapacibus, ideo genus promiscuum  
siue confusio in sexu maxime habet fieri circa hoc. Et nota quod dicitur genus  
dubium cum a parte rei ad neutrum extremum declinat, ut dies uel finis. Sed dicitur  
250 epithenum uel promiscuum, cum a parte rei plus declinat ad unum latus, sed  
quoniam ad proprietates est indistinctum et confusio, ut uolatilibus, rapacibus et  
leporibus. Sed dicitur esse epythenum a parte sue significationis, promiscuum uero  
a parte confusionis et indistinctionis proprietatum ipsius sexus ut in quantitate, in  
actu supponendi uel rapiendi uel defendendi.

255           Sequitur de secundo, scilicet de proprietatibus sexus, et primo de  
naturalibus.

          Secundo de moralibus.

          Circa primum queritur primo de complexione sexus in quantum distinguit  
uel in quantum est principium distingendi.

260           Secundo a parte quantitatis.

---

234. indistincte *M*

240. proprietatis -ti- *expunctuatum*; 241. supponatur *M*

247. in *add.*; 248. siue *secunda -i- expunctuata*; 258. distiguit *M*

Tertio a parte uite.

Quarto a parte fecunditatis uel sterilitatis.

5. Circa primum arguitur sic: dicit Haly quod complexio calida testiculorum aut nihil generat aut facit feminas, ergo cum femina generetur tam a caliditate quam a frigiditate, caliditas et frigiditas non sunt principium distinguendi sexum. 265

Propterea dicit philosophus quod calidum et frigidum et humidum sunt principia distinguendi accidentia corporea, ut aspectum lene, durum, molle. Sed distinctio sexus non fundatur in accidentibus materialibus, ergo distinctio sexus non erit a calido.

Contra dicit Haly quod fortis uirtus masculinat, debilis uero feminat. 270

Et philosophus hic dicit quod temperancia masculinat, distemperancia feminat. Sed complexio est principium temperamenti uel distemperamenti, ergo complexio est principium distinguendi sexum.

Tunc queritur in quo sexu plus caliditas dominatur, quia dicit Auicenna quod quanto calidior est fortior et maior. Sed uirtus maior est in mare quam in femina, ergo et calor naturalis. 275

Ad oppositum /283ua/ uidetur esse Haly quod complexio calida et sicca testiculorum aut nihil generat aut feminas generat. Sed complexio maxime est calida, ergo et cetera.

Ad primum dicendum quod tenor uirtutis in fortitudine et debilitate per se est causa prima distinctionis sexus. Et sic dicit Haly quod fortis uirtus semper masculinat et debilis feminat. Sed quoniam fortis uirtus operatur mediante complexione et maxime temperata sit, uirtus sit huiusmodi, consequitur quod intendit et maxime si in testiculis sit. 280

Si autem habeat medium distemperatum, tunc debilitatur uirtus et generat preter intemtionem feminam, que nihil aliud quam mas occassinatus generat masculum sed non feminam. Sed si causa deficiat, tunc nihil generat. 285

---

271. temperacia *M*; 273. distiguendi *M*

283. temperamenta *M*; 286. occassinatus *M*

Ad obiecta autem dicendum quod caliditas duplex est: quedam naturalis, et  
hec inradicatur in humido aereo, et de tali loquitur Auicenna. Alia uero est  
290 accidentalis, et hec distemperancia est in testiculis, et hec uirtutem debilitat et  
eneruat, et de tali loquitur Haly.

Ad aliud dicendum secundum Galenum in libro *De complexionibus* ubi dicit  
quod complexio multiplex est: quedam, que debetur generari secundum quod  
dicimus, quod omne uiuens in quantum tale est calidum et humidum, ut lactuca et  
295 quecumque huiusmodi.

Secunda est, que debetur climati, sic fere, qui sunt inclimate calido et sicco .  
Sed sunt omnes colerici et in stomacho et humido flegmatici, sicut omnes hispani  
generaliter sunt colerici.

Tertia, que debetur speciei secundum quod dicitur, quod omnis leo est  
300 colericus per comparisonem ad alia animalia, et omnis homo est sanguineus.

Quarta, que debetur sexui secundum quod totum corpus ex reuerbatione  
caloris a membris generatiuis calefacit et inflamatur, et per abrasionem istorum  
membrorum efeminatur et redit ad mores femineos, unde est comparando unum  
indiuuiduum ad aliud eiusdem speciei. Sed ista aut est in puncto aut sub latitudine.  
305 Si sub latitudine, sicut dicitur quod hominum quidam sunt colerici, quidam  
flegmatici, quidam sanguinei, quidam melancolici, et hec operatio est inter plura. Si  
autem sit in puncto, est operatio unius solius ad unum, et de hac dicit Auicenna  
quod impossibile est quod duo in duo indiuidua concurrant in hac complexione. Et  
de hac etiam loquitur posterius quod in unoquoque indiuiduo sunt septem  
310 proprietates, quod impossibile est et cetera. Et dicit Auicenna etiam quod  
complexio est uia in speciem, sic ergo patet quod quantum modum comparando  
marem ad feminam, ut flegmaticum, et iuuenem ad iuuenem. Et eisdem

---

293-294. que debetur generari secundum quod dicimus, quod omne uiuens in quantum *mg.*;  
latuca *M*

296. sicco *add.*; 307. aut *M*;

309. postius *M*; 310. quas *M*; quod *add.*

conditionibus obseruatis per istam omnis mas est calidus et siccus et omnis femina est frigida et humida.

6. Circa secundum queritur de magnitudine, qui debent esse maiores utrum 315  
mas aut femina, et propter quid hec regula deficiat in rapatibus.

Circa hoc sic arguitur: dicit Auicenna quod ubi terminatur nutritiua ibidem incipit generatiua, et quanto maior est augmentatiua, tanto plus uiget nutritiua. Sed cum in feminis plus uigeat nutritiua quam in maribus, ergo et augmentatiua queritur et cetera. Minor patet quia nutriunt se et fetum. 320

Propterea dicit Boecius quod quantitas sequitur materiam, simplicitas formam. Sed femina plus habet de materia, mas uero plus de forma, ergo et cetera.

Ad oppositum est philosophus in fine quarti dicens quod in omnibus generantibus mares sunt maiores et femine sunt minores.

Et arguitur sic: dicit philosophus in sexto decimo quod magnitudo animalis 325  
uel caloris non est sine magnitudine uirtutis, ergo et erunt, cum ratione sexus omnes mares sint fortiores feminis, ergo et erunt maiores, sicut habentia sanguinem quam non habentia.

Secundo queritur quis sexus sit longioris uite, et arguitur sic: calidum per se operatur ad marem, sed humidum per se operatur ad uitam, quia substricta uel 330  
substinet calidum per accidens, unde humidum nullo modo est consumptiuum principium quam est de se. Ergo cum dominium calidi sit in mare, dominium autem humidi sit in femina, uita debet abreuiari in mare et prolongari in femina.

Ad oppositum est philosophus in fine quarti, qui dicit quod mares sunt longioris uite quam femine. Et arguitur sic: dicit Haly quod complexio temperata 335  
est longioris uite post sanguineam. Vnde hic est ordo primo sanguinea, demum temperata, demum frigida et humida, demum calida et sicca, et ultimo frigida et sicca. Ergo cum sexus masculinus generaliter plus accedat ad temperamentum,

---

317. circa primum *lituratum*

337. et *add.*



femina uero minus, ergo et cetera. Quod plus accedat, patet quod uirtutis fortitudo  
340 adducit temperamentum.

7. Tertio, queritur quis sexus tardius, scilicet cicius infirmetur, et arguitur  
sic: fortitudinem uirtutis sequitur sanitas, sed sanitas sequitur tardius infirmari, ergo  
masculi tardius infirmantur.

Ad oppositum autem est philosophus /283ub/ in capitulo *De matrice* qui dicit  
345 quod uiri cicius infirmantur quam femine.

Sed tunc queritur quis sexus magis terminetur ad bonum uel ad malum, et  
arguitur sic: sicut dicit Galenus et Ysaac, morbi calidi sunt melioris terminationis  
quam frigidi. Sed mares frequentius paciuntur a calido, femine autem a frigido,  
ergo et cetera.

350 Ad oppositum est Ysaac dicens: quosdam autem acumen morbi accuti, ergo  
acutes, et acumen et morbus rapiet mares, morbus uero solum feminas, ergo et  
cetera.

Ad primum istorum dicendum quod ad magnitudinem tria requiruntur:  
uirtus fortis, complexio calida, que fortiter extendit, eleuat et rarefacit, tertio  
355 humidum extensibile et obediens. Quantum ad duo prima mares debent esse  
generaliter maiores feminis, quantum ad tertium accidit, e contrario. Nam humidum  
molle tenerum magis habundat in feminis quam in masculis, et quoniam duo  
principia plus operantur quam unum, ideo generaliter mares debent esse maiores,  
tardius tamen crescunt et augmentantur extra uterum, mulieres uero breuiores. Sed  
360 hec regula maxime defecit et minores cicius tamen debent augmentari. Sed hec  
regula maxime deficit in uolatilibus et maxime in rapacibus, quia omne uolatile est  
calidum et siccum. Sed cum est rapax aut habet complexionem elementatam per  
tres gradus, cum quia uolatile, tum quia rapax, tum quia masculus. Sed in feminis  
reducitur ad temperamentum per naturam sexus cuius materia eleuatur ratione  
365 humiditatis quam ponit ratione sexus. Et ideo in rapacibus femine sunt maiores et  
audaciores.

Ad aliud dicendum quod longitudo uite que est naturalis et quedam accidentalis, sicut mors. Longitudo enim uite naturalis consistit in resolutione humidi radicalis a calido innato. Vnde dicit philosophus in *De morte et uita* quod calor phisicus consumit proprium alimentum. Cum igitur in maribus plus sit de humido radicali quantum ad hoc mas est longioris uite quam femina, loquendo in generali. Aut est accidentalis secundum quod femina minus spermaticat, quia coitus immoderatus maxime accelerat mortem, et hoc uult philosophus in *De morte et uita*, et hoc idem uult Galenus. Quod igitur mulieres emitunt, est crudum et indigestum, sed mas emitit digestum. Et quod debet esse pabulum caloris naturalis, et hec est materia quantum ad longitudinem uite accidentalem, que consistit in debito regimine respectu laboris, quia femine minime emitunt minime laborant. 370 375

Propterea in mulieribus emituntur superflue menstrua, in uiris autem non. Ideo sic mulieres sunt longioris uite quam uiri. Per hoc patet solutio ad obiecta. Quia quamuis mares plus habeant de calido, tamen plus habent de humido radicali, quod est conseruatiuum uite. Mulieres autem plus habent de humido aquoso, quod est potius principium suffocationis quam conseruationis. Et ideo dummodo debite conseruetur plus uiuum naturaliter uir quam mulier. 380

Ad aliud dicendum quod sicut dicit Galenus morborum qui nocent principaliter sui longitudinem ut quartana ydropisis et morbi de materia frigida isti pocius terminantur in mulieribus quam in uiris. Alii qui magis nocent sui accumen, ut febris acuta, que inducit frenesim, et quantum ad istos terminos frequencius est ad malum in masculis quam in feminis. Vnde a guta uel epylepsia uix liberatur mulier, e contrario autem est de uiro. 385

Ad aliud autem respondendum est per hoc idem quod morbus autem est materialis, ut epylepsia aut ethica. De morbis immaterialibus generaliter habiliores sunt masculi ad infirmandum quam femine. Vnde ethicam uel effimeram indebitis in uiro decies, in femina numquam. Si materialis aut de materia frigida aut de 390

---

368. que est, et enim *expunctuatum*

388. in *add.*

392. *effimecam M*

opillatione uentositatis et sit plus femine. Si de materia frigida calida ut tercias  
395 febres accutas plus uiri quam mulieres. Per hoc patet solutio, quia philosophus  
loquitur de morbo materiali ex materia frigida generato.

8. Tunc queritur de sexu a parte sterilitatis, et arguitur sic: philosophus dicit  
in nono et decimo quod mas multiplicat formam et speciem per feminam. Et hoc  
est quod dicit philosophus in fine primi *Physicorum* quod materia appetit formam,  
400 ut femina masculum, et turpe appetit bonum. Et dicit quod commentator ibi dicit  
quod sicut mas multiplicat in pluribus feminis imprimendo formam in materia, cum  
ergo homo plus possit generare quam femina portare, ita hoc attenditur fecunditas,  
ergo et cetera.

Propterea dicit philosophus in decimo quod plura requiruntur a parte  
405 mulieris quam a parte uiri. Vnde generatio frequencius impeditur a parte femine  
quam masculi. Ergo cum maius impedimentum inducat sterilitatem, femine magis  
erunt steriles quam masculi.

Ad oppositum est philosophus in fine libri *De plantis*, ubi dicit quod sexus  
femineus est fecundior, mollior et forcior, masculinus uero e contrario. Et arguitur  
410 sic: fecunditas est in multitudine, sed multitudo /284ra/ rei sequitur materiam, ergo  
cum femina sit a parte materie, fecunditas sequitur materiam feminam, ergo et  
cetera.

Ad hoc dicendum quod sexus aut distinguitur a parte rei et sic est tantum in  
animalibus, et sic masculi sunt fecundiores, femine uero sunt steriles. Tamen quia  
415 mares dant uirtutem et sunt principium generationis femine ad tempus, femine  
autem per multum temporis, ideo plus requiritur ad feminam quam ad masculum.  
Vnde unus masculus plus possest generare quam multe femine portare. Aut est  
sexus quantum ad proprietates et adiciones, et sic in plantis sic fecunditas non  
attenditur quantum ad actum generationis, sed quantum ad actum productionis, et  
420 quia productio est a materia, et plante et femine plus habent de materia et multum

---

400. dicit *add.*

405. generato *M*

419. quan *M*

atrahant de nutrimento, sicut et cetera, et sic loquitur philosophus in fine libri *De plantis*.

Tunc queritur de sexu a parte compositionis et arguitur sic: dicit philosophus in duodecimo quod mollices carnis et corporis facit ad bonitatem sensus sexus. Sed tactus et sensus est melior in masculis quam in feminis, ergo et caro melior. 425

Ad oppositum est philosophus in fine quarti, ubi dicit quod compositio mulieris est rara et debilis.

Tunc queritur propter quid nerui et iuncture sunt debiliores in feminis quam in uiris. 430

Et quare mulieres sunt tardiores in curendo quam uiri.

9. Postea queritur quis sexus sit melior in uia nutrimenti, quia dicit Auicenna quod omne animal in etate iuuentutis est forcior etate decrepiti. Ergo cum uirtus sit forcior in maribus quam in feminis, mares sunt generaliter meliores quam femine. 435

Propterea dicit philosophus quod, quia femina non habet sperma, non potest complete generare nec decoquere, sicut masculi agi, digestio sit melior in maribus quam in feminis, et quanto digestio melior, tanto nutrimentum melius, ergo et cetera.

Ad oppositum sunt actores medicine et practice dicentes, quoniam galina preualet gallo, et arguitur sic: femina mundifficatur per menstruum uel per illud, quod est in loco menstrui, ergo quanto nutrimentum est mundius, tanto melius. Masculi autem non mundifficantur, ergo et cetera. 440

Sed queritur tunc quare in specie porci mas eligitur et femina respuitur in omni etate generaliter, in auibus autem est e contrario. 445

Propterea quare in prima etate gallus preualet galline.

In secunda autem etate, ut in iuuentute, galina preualet gallo.

Propterea queritur quare bos masculus est melior in regione calida, in quibusdam autem frigidis accidit e contrario.

450 Ultimo queritur que partes sint meliores utrum anteriores uel posteriores aut inferiores, et arguitur sic: dicit philosophus quod pars inferior est maior, superior uero minor, et in aliis animalibus accidit e contrario. Causa autem huius est quia in homine superfluitates descendunt ad inferiora, in aliis animalibus partes posteriores sunt altiores, ergo in aliis animalibus posteriores erunt mundiores, ergo et cetera.

455 Ad oppositum autem est Ysaac, dicens quod in ariete et in animalibus partem anteriorem habentibus altera pars anterior est melior. In animalibus, in quibus pars posterior est altior, accidit e contrario, ut in porco et similibus.

Ad primum istorum dicendum quod uiri generaliter sunt duriores et rigidiores, sicut uult philosophus in libro *De plantis*. Vna causa est dispositio  
460 materie que est solidior et siccior.

Secunda autem causa est uirtutis fortitudo, que potest fortiter coagulare, et hec fuit una causa longioris uite in homine quam in femina. Compositio enim depressa et solida tardius dissoluit, ut plante quam animalia et elefans quam homo.

Ad argumentum dicendum quod duricies corporis, quedam est callosa et  
465 innaturalis ex defectu humidi radicalis, ut patet in maribus rusticorum arantium uel in maribus laborantium. Et de tali duricie, que loquendo quanto tactus peior, tanto in collis peior. Alia est duricies, que uenit per uiam coagulationis, et hec duricies est naturalis, ut digestiua tertia fortiter coagulat. Et de hac duricie loquendo, mas est durior quam femina et hec non impedit tactum.

470 Ad aliud dicendum quod nerui quanto sicciore, tanto meliores et habiliores sunt ad motum non ita sicci, †suple† quod corrumpantur, quia igitur sexus femininus maxime est humidus. Multum de humido transit ad neruos et iuncturas et ideo et cetera. In uiris autem accidit e contrario eo, quod deficit humidum inrorans et est ibi calidum desicans.

475 Ad aliud dicendum quod bonitas nutrimenti, quedam est gratia speciei, ut animalia calida et humida, ubi carnes arietine melius nutriunt corpus humidum, quia sunt calide et humide, sicut caro humana. Quodam est nutrimentum bonum in

---

471. maxime est humidus, ...-a non *expunctuatum*; corumpantur *M*

genere correctionis et conseruationis in lapsis, et sic est optima caro porcina, quia ratione compositionis cito conuertitur et conseruat, ratione complexionis redducit, quia repugnat complexionis calide. Et sic aut est bonitas nutrimenti gratia sexus aut 480 nutrimentum istud /284rb/ reccedit a temperamento per calidum et siccum, et sic quanto iunior, tanto melior. Vnde Ysaac omnis fetus matricis sicce quanto iunior et maxime aproximatur partui, tanto melior, ut †capreolus†, edus, pulli et anseres. Anser tamen animal calidum et humidum est. Si ratione complexionis melior est quando est iunior quam quando est senex. Aut reccedit a temperamento per 485 humiditatem, ut porcus et agnus, et isti in prima etate minus ualent. Vnde plus ualet quando est unius anni, et similiter porcus unius anni optimus est. Et nota quod aliquis peccat contra bonitatem nutrimenti a parte compositionis uel a parte complexionis uel a parte infectionis. A parte compositionis, ut anser quia fortis est compositionis, a parte complexionis, ut bos uero ceruus, lepus quia omnes sunt 490 melancolici, et ideo mali sunt. Nutrientia uero ratione infectionis, sicut pulla plura galine peior est quam mas. Et pisces sunt peiores quam animalia agrestia propter immunditiam carniū, sicut omnis piscis carens squama peior est habente squamas. Dicendum igitur quod mas quantum ad munditiam carniū est generaliter melior, sed quantum ad compositionem quam habet raram mulier uel 495 quantum ad complexionem, quia est frigida et humida, melior est quam masculus. Sed ista regula in diuersis generibus uariatur, quia in auibus femina, ut gallina plus ualet quam gallus, sed antequam ad augmentum deueniat, accidit e contrario. Sed in generantibus aut sic est quod multum peccant per immundiciam, ut in porco, capra, oue, et in talibus mas preualet femine, aut peccant principaliter in 500 complexione, ut caro bouina est multum frigida et sicca. Et quia frigiditas repugnat siccitati in talibus femina preualet mari, ut uaca quam bos licet per accidens. Similiter in aliis animalibus melancolicis.

---

482. matris *M*

493. immunditia *M*; 494. immunditia *M*

Ad aliud quod obicitur quod femina mundior est, et cetera, dicendum est  
505 quod munditia duplex est: quedam naturalis et quedam accidens. Et quod femina  
menstruat, hoc non est, quia habeat carnes mundas, sed quia habet carnes  
immundas, ideo menstruat. In homine quia habet carnes mundas, ideo non  
menstruat, et ideo et cetera.

Ad aliud dicendum quod omnis femina in quantum deficit a coagulatione et  
510 decoctione, debilior est. Sed iste defectus non est in fine sed in medio uel circa  
medium, et talis defectus, ideo inducit peioritatem.

Ad aliud autem quod querebatur de diuersitate bouis et uace, dicendum  
quod secundum Ysaac omne animal habet carnes meliores in tempore illo, in quo  
habet cibum naturalem, plus habundat etiam cibo magis et nutrimento meliori, ut in  
515 maio arietes, porci uero in tempore segetum, in partibus uero nemorosis in tempore  
glandium. Et maxime quando, quia igitur arietes et porci in regionibus nemorosis et  
siccis uastis reperiunt cibum naturalem, eligunt melius naturaliter magis quam si  
daretur eis artificialiter, et querunt nutrimentum naturale eligendo et tunc  
mundificantur et depurantur. Et quia ibi habent cibum naturalem, delectantur  
520 eorum carnes per motum, quia igitur mouentur in acquirendo carnes depurantur. Et  
quia ibi habent cibum naturalem delectantur. Et ideo ibi generaliter animalia sunt  
melioris nutrimenti ut in Yspania et huiusmodi. Sed hec non habent habundanciam  
cibi naturalis in partibus istis, sicut graminis, et maxime uace licet multum  
appareant de gramine eo quod multum habent de lacte. Et ideo totum quod  
525 inuenitur, totum conuertunt, et propter hoc generaliter sunt macre, ideo et cetera.

Secunda causa est quia in regionibus desertis et uastis boues arant et  
laborant eo, quod sunt debilis uirtutis boues. Et ideo hic autem quiescunt eo, quod  
sunt debilis uirtutis boues, et ideo quiescunt et impinguntur. Vace autem non eo,  
quod totum quod inueniunt, conuertunt et ideo et cetera. Inde dicitur uitulu si non  
530 crescat †arator†.

---

506. mundus *M*; 507. mundas *M*

509. coagulationem *M*

520. acquiredo *M*

Tertia causa est quia caro bouina peccat multum in siccitate, cum est masculus magis siccus. Iterum in regione sicca habet nimiam siccitatem, et ideo bos masculis ratione siccitatis habundantis exit a temperamento. Si autem sit in regione temperata, reducitur ad temperamentum. De carne autem uacce alio modo est, quia plus illa peccat per frigiditatem quam siccitatem, quoniam siccitas 535 reprimitur a sexu. Si igitur sit in regione calida, frigiditas reprimitur per beneficium regionis, et ideo et cetera.

Ad aliud dicendum quod querebatur que partes sint meliores. Dicendum quod in quibusdam regionibus anteriora sunt magis eligenda, ut in ariete, in uolatili et in boue, cum anteriora a calore forti depurentur et superfluitates ad posteriora 540 delegentur. Et generaliter dicit Ysaac quod pars illa que est in maiori motu, est melior, ut ale in auibus et cauda in piscibus, et scamosi in piscibus generaliter malum, et in omnibus animalibus uel ubi est aliquid loco scame et in piscibus generaliter malum est. Aut sunt animalia in quibus partes posteriores superminent partibus anterioribus, ut in porco, agno et edo. In prima etate et in talibus posteriora 545 preualent anterioribus, et sic patet solutio ad quesita.

**10.** Postea queritur propter quid uir potest effeminari, mulier autem non potest /284ua/ uirginari per artem sed solum per naturam, unde sunt multi carentes barba, sed mulier numquam habet barbam, sicut uir habet.

Ad hoc dicendum ratione logicali primo sic masculus est, sicut bonitas et 550 punctus et perfectio uirtutis quod apparet, quia dicit philosophus quod temperamentum facit masculos. Temperamentum autem est in puncto, distemperamentum autem facit feminas et inequalitas. Quare mas est, sicut habitus, femina autem sicut priuatio. Quia igitur ab habitu potest deueniri in priuatione, non autem e contrario, ideo et cetera. 555

Secunda causa est, quia dicit Auicenna, quod membra radicalia deperdi possunt, sed deperdita non reparantur. Et ideo cum masculus reddeat ad naturam

---

541. quod *add.*; 544. posteriora *M*

550. loicali *M*; 551. perfecto *M*



femine per deperditionem membrorum generatiuorum, hec membra radicalia possunt deperdi, sed deperdita non possunt restaurari. Et ideo mas potest redduci ad naturam femine, femina autem ad naturam uiri non potest redduci.

**11.** Postea queritur de proprietatibus sexus moralibus et queritur quis sexus sit magis disciplinabilis, et arguitur sic: molles carnis adgenerat intellectum, sicut dicit philosophus, ergo ubi intellectus sequitur materiam, minus sequitur intellectum, sed hoc est in mulieribus, ergo et cetera.

Propterea dicit philosophus in octauo, quod mulier uult castigare et non uult castigari, et corrigere et non corrigi. Hec autem non esset, si melioris esset disclipine, ergo et cetera.

Ad oppositum autem est philosophus, qui dicit in octauo quod leuiores sunt ad introducendum et astutiores.

Propterea pueri maxime sunt disciplinabiles, sed femine sunt similes pueris, ut dicit philosophus, ergo et cetera.

Propterea sensibilibus uidemus quod puella uel puelule maxime disciplinabiles sunt quam pueri, ergo et cetera.

Propterea hec queritur quare mulier plus desperat et minus confidit quam masculus.

Et etiam propter quid plus inuidet quam mas.

Et propter quid est compacientis nature et.

Quare de facili lacrimantur, unde Ouidius:

*ut flerent oculos erudiere suos.*

Item queritur propter quid mulier cito decipitur et est sexus fragilis.

Et propter quid in regione distemperata sunt maxime sapientes et discrete et uiri stulti et furiosi, in regione autem temperata et frigida accidit e contrario.

Ad primum istorum dicendum quod disciplina duplex est: aut ratione affectus et in operationibus motiuis, et sic femine generaliter sunt motiores et

---

579. Ouidius *mg. alia manu*

583. autem *M*; 584. operationis *M*

obedentiores masculis, unde pueretur sicut puer, terretur similiter ceruus et canis in 585  
tempore coytus sunt indomabiles, femine autem sunt paciffice. Aut in opere  
intellectus, ut in querendo uerum et falsum respuendo, et in hiis operibus numquam  
femina consequitur marem. Intellectus enim eius magis est obumbratus quam in  
mare. Primo modo loquitur philosophus, et per hoc patet solutio quia philosophus  
loquitur de operibus motiuis et non de aprehensiuis. 590

Ad aliud dicendum quod obicit quod femina est similis puero, qui maxime  
est disciplinabilis. Dicendum quod similitudo illa adtenditur quantum ad  
emissionem spermatis et non quantum ad impressionem discipline.

Ad aliud dicendum quod femina desperat et difidit, tunc quia causam  
defectus in se portat. Generatur enim ex uirtute debili et ex defectu uirtutis. Et quia 595  
habet et scretit istud malum, ideo odit bonum alienum, et inde consequitur  
inuidiam.

Secunda causa est quia femina est humida. Humidum autem nullius est  
impressionis, cum humidum sit male terminabile termino proprio, sicut dicit  
philosophus. Mas autem, quia siccus reccipit impressionem et est bene terminabile 600  
siccum. Et ideo de promisso sibi aliquo diffidit femina ubi confidit mas, sed inuidet  
propter causam iam predictam, aut quia maxime est intenta circa filios suos uel  
quia circa multa negocia est intenta. Et ideo capit a multis, ut ab ipsis possit  
extorquere. Et ex hoc causatur inuidia, et ideo inuidia est.

Tunc queritur propter quid femina plus dilligit natum quam pater. 605

Et queritur quare amor non reuertitur quia mater et pater plus dilligunt natos  
quam nati ipsos.

Ad hoc dicendum quod mater plus dilligit quia quanto plus habet de rei  
defectu, quam mas, tanto magis appetit excusare per amorem ardentem istum  
defectum. Defectus enim maris per filium eleuatur. 610

---

600. impressione *M*

606. quare *add.*

Secunda causa est magnitudo doloris et pressura respectu patris. Quanto enim aliquid plus potest poni in alio, tanto plus dilligit illud.

Ad aliud dicendum quod omnis dillectio aut est sui ipsius in se aut sui ipsius in alio. Quia igitur patris et matris de natura propria est aliquid in generatis et non e  
615 contrario, quia nihil deceditur a natis in parentibus, sicut e contrario accidit, ideo parentes plus dilligunt natos quam nati parentes.

Secunda causa est, quia sic dicit philosophus, /284ub/ quod naturam inquam desiderare, quod melius est, melius est autem esse quam non esse, quia igitur per esse prioris est esse posterius, et non e contrario, ideo amor non  
620 reuertitur.

Ad aliud dicendum quod secundum philosophum quod humidum, sicut dicunt, est bene terminabile termino alieno, male autem termino proprio. Quia igitur mulieres maxime humide sunt, ad quidquid uident, se conuertunt, unde si uident gaudere, gaudent, si autem tristari, tristantur. Et ex hoc accidit compassio  
625 similiter quia est frigida et humida mulier, de facili est passibilis, et ita de facili frigidabilis.

Ad aliud dicendum quod de facili lacrimantur quia de facili compatiuntur. Causa est quia habundat in humiditate. Sed uiri quia sunt sicci et non de facili compatiuntur, ideo nec de facili lacrimantur.

630 Ad aliud dicendum quod una causa est defectus insitus uel innatus, unde quod non potest per uirtutem sue nature, uult obtinere per fraudem. Et ideo, quia iste sexus est naturaliter debilis et deficiens, quod non potest obtinere per uigorem, uult obtinere per fraudem. Et ideo aliud promittit in ore et aliud habet in corde.

Secunda causa est mobilitas et inconstancia mentis. Modo enim est in uno  
635 proposito et modo in alio.

Sed tunc queritur propter quid naturaliter sagax est in malo, in bono uero nec sagax nec audax, immo multum timida.

---

612. ponit *M*

614-616. Nota quare pater et mater diligunt plus filios quam e contrario *mg. alia manu*

617. quod *add.*; 631. quod *add.*

Ad hoc dicendum secundum Auicennam quod quanto una uirtus magis intendit operibus unius rami, tanto magis remittitur in operibus alterius rami. Vnde bonus in teatro, malus est in studio. Quia igitur mulieres magis intendunt ad opera 640 nature, ideo ordinantur ad malum et recedunt ab operationibus intellectus. Et ideo sagaces sunt ad malum, sed subito habent hic quia multum sunt humide, et ideo subito recciunt a quocumque casu.

Secunda causa est ymaginatio continua in istis malis operationibus. Cum enim temperatio maxime ipsas agitet, semper cogitant, si ita accidit quomodo esse 645 agendum. Et ideo cum casus accidit, tam cito sciunt remedium adhibere, quia ante preuise sunt.

Ad aliud dicendum quod in opere generationis maxime est uerecunda. Vna causa est quia mulier in opere coitus se ipsam agenerat in recciendo, uir autem se euacuat et liberat, et ideo et cetera. 650

Secunda causa est quia femina tenet locum materie, mas autem locum forme, in quo gloriatur homo, mulier se in hoc uilipendit.

Tertia causa est quia in hoc opere semper mulier reccipit, uir autem semper largitur, sicut ergo pauper erubescit de diuite, a quo continue reccipit, sicut et cetera. Sed in aliis operibus accidit e contrario, quia circa omnia opera, in quibus 655 est confusio, accidit defectus uel inordinatio. Et quia mas debet esse magis ordinatus et minus deficiens quam femina, ideo et cetera.

Ad ultimum quesitum quod cum femina sit maxime humida, femina inter omnes ratione sexus et ratione speciei est maxime humida. Si igitur sit in optimo climate, per quod eius humiditas reperetur et ad temperamentum reducatur, tanto 660 est discretior et maxime quia ex spermate nobili modo digestio ratione caliditatis loci generatur, ideo et cetera.

Secunda causa est quia in illis regionibus femine non laborant, et ideo distrahitur earum seruilitas per naturam regionis. Hec autem et in regionibus frigidis multum laborant, et ideo femine sunt minus discrete, uiri autem e contrario 665 et cetera. Et sic patet solutio quesitorum.

## Questio secunda

Circa decimum sextum adhuc remanet in querendum de principiis generationis extrinsecis.

Et primo de spermate.

5 Secundo de menstruo sanguine.

Primo de spermate quantum ad eius necessitatem.

Secundo quantum ad eius generationem.

Tertio de comparatione spermatis ad substantiam fetus, utrum sperma sit pars materialis ipsius conceptus uel non.

10 Quarto de spermate quantum ad modum generandi.

1. Circa primum est prima questio utrum sperma sit necessarium in quolibet animali et in quo plus, et arguitur sic: dicit philosophus in decimo quinto quod omne quod est a natura aut est propter esse aut propter bene esse. Sed esse nature non est sine medio per quod conseruatur natura. Hoc autem est sperma et sanguis menstruus, ergo sperma est necessarium nature.

Propterea dicit philosophus in decimo quinto quod omnis operatio corporalis fit per medium corporale. Ergo cum generare sit operatio corporalis relinquit medium corporale. Hoc autem non est nisi sperma uel aliquid loco spermatis, ergo et cetera.

20 Propterea dicit philosophus in principio decimo quinto quod sperma est in ratione agentis et factoris, et femina ratione materie quam ponit, est in ratione

---

1. questio secunda *mg.*

13. quod *add.*; 18. relinquit *M*

materie et patientis. Sed in omni actione naturali exigitur agens et paciens, ergo sperma necessarium est in omnibus.

Ad oppositum est philosophus, dicens quod est in quibusdam sicut et quibusdam non. Ergo non est necessarium, cum natura non deficiat 25  
innecessarius.

Propterea scribitur in fine decimo quinto quod sicut sperma generatur in testiculis, sic lac in mamillis. Sed multa sunt animalia carencia testiculis, ergo non habent sperma. Sperma sicut lac ad eundem /285ra/ finem ordinantur. Sed lac non est in quolibet animali nec in quolibet tempore, ergo nec sperma. 30

Tunc queritur quare sperma est in pluribus quam lac, cum nobilior digestio sit in spermate quam in lacte.

Ad primum istorum dicendum quod sicut in omnibus animalibus est cor uel aliquid loco cordis, sicut quedam tela in medio refusa et similiter sanguis et caro uel aliquid loco istorum, sic in quolibet animali est sperma uel aliquid loco 35  
spermatis. Sed istud in quibusdam animalibus egreditur per uiam resudationis, ut limositas ab anguillis uel ab animalibus generatis per putrefactionem. Et hec limositas, sicut dicit in decimo sexto, est loco feminis et congregat purum.

Item fit sic sperma. In aliis uero animalibus exit per partem determinatam, sed in quibusdam femina reccipit a mare extra, ut asina ab asino, in quibusdam 40  
autem utrumque emitit extra, ut in piscibus. Nam primo generantur oua et postea pater spermatizat super illa, et tunc sunt illa oua habilia ad generationem. Similiter si gallina in utero habet ouum uenti, dummodo sit citrinum, si spermatizet gallus in gallinam, erit ouum primo ineptum, postea aptum ad generationem. Sic ergo non est necessarium sperma in quolibet, sed aliquid loco spermatis. 45

Ad argumenta autem arguo sic et dico quod quamuis esse speciei sit maxime intentum a natura, non tamen sperma. Et hoc est quia potest esse in

---

27. sic *M*; 29. non *M*

39. sicut *M*; 47. esse *add.*

quibusdam, sufficit agens uniuersale, et natura numquam facit per duo quod potest  
facere per unum, sicut scribitur in octauo *Physicorum*.

50 Sed tunc queritur propter quid omnis planta habet uirtutem generandi sibi  
simile, non tamen omne animal.

Ad hoc dicendum quod in plantis est duplex generatio et una est similis  
generationi animalis, alia uero non.

Vna est sine deperditione simile, sicut enim animal mediante femine  
55 ordinatur ad generationem, sic planta quantum ad semen. In semine duo sunt, unum  
est pepanum, Galenus pipam, quod ordinatur ad generationem, per exterius uero ad  
conseruationem, et quantum ad hoc est similis generatio ista generationi animalis,  
et sicut non omne animal generat mediante, sic nec omnis planta, immo quedam sic  
et quedam non.

60 Est et alia generatio per decisionem, sed hec generatio in quibusdam est per  
infixionem in terra, ut in salice siue sambuco plantetur in terra. Aut est generatio  
per uiam insertionis ut quando unus ramus inseritur alio et hoc modo insertionis  
potest fieri de pomo pirum uel de siluatico domesticum sicut dicit Paladius, et  
quantum ad istam generationem non est simile in planta et in animali, et causa est  
65 uniformitas. Dicit Aueroyis in secundo *De anima* et Haly similiter quantum in  
plantis est uniformitas in toto et in parte. Et ideo sicut generabat sic pars quelibet,  
sed in animalibus non est quelibet pars consimilis toto, immo quedam partes uel  
membra sunt officialia et quedam consimilia. Et ideo fit generatio per illud quod  
est simile toti.

70 Secunda causa est quia in plantis terra est, sicut stomachos et ab eadem  
radice uenit nutrimentum et generationis principium. Et ideo non requiritur ulterior  
digestio in eo quod est principium generationis. Et ideo non est principium sed in  
animalibus quod generatum est nobilius, ideo exigitur ulterior digestio in eo quod  
est principium generationis. Et ideo non est principium idem generationis et  
75 nutritionis. Immo principium generationis prius digeritur.

---

61. platetur *M*

Ad aliud dicendum quod obicitur de lacte et spermate quod sperma comparatur ad sanguinem menstruum tamquam ad materiam primam in qua imprimi et operatur. Sed ad lac in generantibus, ad vitellum in ouantibus comparatur tamquam ad illud quod perficit et complet. Quia igitur sperma est in ratione motoris in omnibus generantibus, materia autem, in qua imprimi, est in ratione mobilis, sicut est menstruum in generantibus et vitellum et lac in generantibus similiter. Et ideo cum animalium quedam generent intra et quedam extra, in generantibus extra debet esse uniformis materia, quia numquam fuerunt extra et quia illud animal nutritur ex nutrimento extra uterum, ideo natura dedit ei nutrimentum magis digestum. Et ideo istud nutrimentum est naturale et per hanc uiam ubicumque est sperma, ibi est nutrimentum respondens scilicet sanguis mensstruus uel aliud, et quia menstruum ad hoc quod eliceret animal, exigebatur saporitum cum non esset assuetus extra, ideo autem quod in lac conuertatur. Et ideo in quibus est fortis completus, exigetur lac quod non fuit assuetus. In quibus autem incompletus generatur ut in ouantibus, cum extra asueti sint, ideo exigitur lac.

2. Sequitur postea de secundo et queritur de primo utrum sperma sit in omni sexu, et arguitur sic: mas et femina distincta sunt in generantibus et in complexionibus. Sed hec animalia, sicut dicit in principio quinti sunt similia arboribus completis, que non sunt uel non possunt generari nihil ex suo simili sicut cedrus ex cedro et prius ex primo. Sed uiles non, immo salis ex putredine generatur, sed ita est quod omnis planta nobilis habet semen per quod se multiplicat, ergo similiter generans omne, sed hoc est semen maris et femine, ergo mas et femina est in omni sexu.

Propterea dicit quod sperma est superfluitas ultimi cibi in membris, sed iste ulterius cibus est tam in femina quam in mare. Sed dicit Ysaac /285rb/ quod non est aliquis cibus adeo conueniens quod totaliter asimiletur, immo oportet quod sit ibi aliquid superfluitatis, ergo in qualibet erit superfluitas residuitatis in femina sicut in mare.



Propterea dicit philosophus quod albumen est loco spermatis, ergo ouum est  
105 spermatizatio, ergo et in generantibus.

Propterea scribitur in principio quinti quod ex spermate femine et maris fit  
fetus, ergo et cetera.

Propterea dicit in quinto quod mulier spermatizat.

Item in decimo dicit quod femina patitur pollutionem in sopno quando  
110 ymaginatur uirum, sicut uir quando ymaginatur mulierem. Ergo cum eadem sit  
materia pollutionis et spermatis, ergo mulieres spermatizant, sicut masculi.

Ad oppositum est philosophus, dicens quod mulieres non spermatizant. Et  
arguitur sic: dicit philosophus quod materia non concidit cum aliis, et hoc in  
secundo *Physicorum*, sed femina est in ratione materie, ergo non concedit cum alio  
115 genere cause. Ergo cum sperma sit in ratione forme, ueniet a mare solum qui se  
habet in ratione materie.

Propterea idem est principium generandi et conseruandi, loquendo  
materialiter, quia eisdem sumus et nutrimur. Sed illud ex quo nutritur fetus, est in  
femina ita quod non in mare. Ergo illud quod efficit et mouet, tamen erit in mare et  
120 non in femina, quare femina non spermatizat, ut uidetur.

Propterea philosophus arguit sic: si femina spermatizat, ergo omnes femine  
spermatizant. Sed conclusio est falsa, quia multe sunt femine non spermatizantes,  
quia femine nigre non spermatizant, ut habetur in littera.

Propterea arguitur sic: ubicumque est spermatizatio ibi est delectatio. Sed  
125 multe femine concipiunt sine delectatione, ergo cum hoc necessario non esset si  
femine spermatizarent, ergo et cetera.

Propterea sic comparatur menstruum ad feminam ita sperma ad uirum. Sed  
menstruum solum est in feminis quare et sperma solum erit in uiris.

Postea queritur utrum mulieres nigre spermatizent plus aliis uel e contrario.  
130 Et arguitur sic: dicit philosophus quod mulieres non spermatizant quia non possunt

---

121. arguitur *M*

semen digerere, ergo cum nigre sint calidiores, et plus possint digerere, ergo plus spermatizant.

Propterea dicit Auicenna quod lac mulieris est melius et magis est digestum, ergo cum per eandem rationem generetur sperma et lac, ergo sperma in nigris erit magis digestum, ergo nigre plus spermatizant. 135

Ad oppositum autem est philosophus dicens quod albe et non nigre plus spermatizant.

Ad hoc dicendum secundum Auicennam quod sperma duplex est: quoddam spumosum, spissum, grandinosum, et tale solum est in homine, et tale natum est agere et non pati mouere et non moueri. Alio autem modo accipitur sperma pro quolibet superfluo, emisso in hora coitus. Secundum quod sperma est superfluitas ultimi cibi, et hoc modo in uiris plus, tantum in mulieribus in utrisque tantum. Sed hoc sperma uenit duobus modis: aut per uirtutem fortem et sic est plus in iuvene et in nigris mulieribus quam in albis, quia nigre sunt forciores albis, sicut dicit Galenus in *Passionario*. Aut uenit per uiam indigestionis, et sic est aquosum, crudum, indigestum. Et tale plus habundat in feminis quam in maribus, et in albis quam in nigris, et sic loquitur philosophus. Et istud uenit exuberantia materie. Et aliquando est mulier colerica et tunc generantur parua apostemata in uulua et ulcerationes ledentes membra uirilia, et hoc accidit maxime in inmundis et retinentibus menstrua. 140 145 150

Alio modo respondendum est generaliter in quolibet animali est una, est responsio generalis, quia philosophus intelligit hunc sermonem generaliter in omnibus animalibus, ut dicit, quod si aliquis consideretur sermonem meum uniuersaliter, inueniet ipsum esse unum. Et sicut loquendo uniuersaliter quedam spermatizant et quedam non. In completis uero omnes spermatizant, et ubi dicit in uno loco quod femina spermatizat, intelligit uniuersaliter, quia complete non spermatizant. 155

Alio modo possumus respondere, nam de spermate possumus loqui duobus modis: a parte proprietatis, ut quod moueat et sit in ratione motoris et similiter in

160 ratione compositionis, ut sit grossum, spissum, spumosum et grandinosum, et hoc modo cum sperma uiri regulet semper, sperma autem femine reguletur, hoc modo femina non spermatizat et sic loquitur philosophus. Aut potest accipi absolute pro quocumque spermate et non secundum proprietates et sic femina spermatizat. Per hoc patet solutio ad argumenta. Cum enim comparat animal ad plantam nobilem, et  
165 similiter dico quod in omni animali completo et nobili est sperma, intelligendum est tantum, sicut dictum est.

Ad aliud dicendum quod albumen non respondet spermati in omnibus preterquam solum in completis, et quamuis in talibus solum femine spermatizent, non tantum propter hoc in incompletis.

170 Ad aliud dicendum quod obicitur de polutione quod non respondet uero spermati. Sed est loco spermatis, non tamen loco spermatis completi quantum ad proprietates spermatis, que sunt regulare et non regulari, agere et non pati.

Ad aliud dicendum quod humidum, flegmaticum, aquosum plus habundat in albis quam in nigris. Sed loquendo de spermate humido, grandinoso, magis digesto,  
175 plus est in nigris quam in albis, cum uirtus et calor sit in eis fortior.

3. Sequitur de tertio et queritur utrum sperma uiri sit pars materialis concepti, et arguitur, sic efficiens in nullo /285ua/ genere accidit cum materia, ergo cum masculus det uirtutem, ita dat causam efficientem et formalem quod nullo modo naturalem. Sed dat sperma, ergo sperma nullo modo potest esse causa  
180 materialis ipsius concepti.

Propterea dicit Galenus in libro *De complexionibus* quod tria sunt que habent ordinem inter se ad inuicem: lex diuina que regulat tantum, materia que regulatur tantum, natura que regulat et regulatur, quia reccipit uestigium a lege. Et dicit quod quando sequitur legem diuinam numquam errat hec, quando sequitur  
185 materiam, materie semper errat ubi si materia sit superflua uel diminuta. Si superflua, quando debuit facere quinque digitos, tunc facit sex, quando autem

---

177. sicut *M*

diminuta facit quattuor, cum deberet facere quinque. Si natura regulet in generationem et non reguletur, ergo imprimit ita formaliter quod materialiter.

Propterea nobilior est modis generandi propagatione quam per conuersionem, sed generans per conuersionem ita dat formam quod non materiam, 190 immo supposita materia imprimit formam oppositam, ergo multo forcius agens per propagationem.

Propterea sicut se habet supra naturam respectu operationis, sic agens naturale se habet respectu operationis. Sed agens supra naturam ita imprimit uirtualiter et formaliter quod non materialiter, quare et agens naturale ita imprimet 195 uirtualiter et formaliter quod nullo modo materialiter.

Propterea dicit philosophus in capitulo *De mistione* quod miscibilia debent esse equalia in uirtutibus et potentiis. Alio enim modo esset generatio, ut si ponatur guta †uini in secana†, non est mistio, nam non fuit proporcio miscibilium, sed fit generatio. Sperma autem uiri est multum respectu spermatis mulieris et sanguinis 200 menstrui. Ergo cum omne illud quod permiscetur alteri, debeat speciem retinere. Si sperma mulieris permisceatur spermati uiri et sanguini menstruo, materialiter speciem retineret. Sed hoc est falsum, ergo sperma non est pars materialis ipsius concepti.

Propterea sperma est sicut artifex respectu ipsius artificis. Si ergo artifex 205 ita imprimit uirtualiter quod non materialiter, ergo et sperma uiri, quare sperma non erit pars materialis concepti.

Propterea dicit philosophus de lacte et coagulo, quia uidemus quod coagulum non conuertitur in lac uel substantiam lactis materialiter, immo uirtualiter solum siue formaliter, ergo asimili sperma, ergo et cetera. 210

Ad oppositum est philosophus, dicens quod creatio embrionis †emblennis† est ex spermate uiri et mulieris, ergo est pars materialis concepti.

Propterea plus spermatizant quam mulieres, si ergo sperma mulieris est pars concepti, ergo et sperma uiri.

215 Propterea dicit philosophus quod sicut ex uino et aqua fit unum per  
mistonem, sic ex spermate uiri et mulieris fit unum. Sed in qualibet misto  
miscibile est pars materialis misti, ergo in qualibet generatione concepti sperma  
uiri est pars materialis concepti.

Ideo queritur de controuersia inter philosophum et medicum, quia medicus  
220 ponit materiam uenire ab utroque, philosophus autem a sola femina.

Ad hoc dicendum quod sicut queritur utrum femina spermatizet, intelligitur  
materialiter, sic ista questio utrum sperma maris sit pars materialis concepti,  
intelligitur uirtualiter. Et sicut sunt multi mares non spermatizantes, sic similiter  
quidam mares quorum sperma non est pars materialis concepti. Et ponit  
225 philosophus exemplum de ouo incompleto quod est ouum uenti quod reducit ad  
habilitatem generationis per uirtutem spermatis maris. Similiter ponit exemplum de  
ouis piscium que similiter per tactum a mare siue a masculo spermatizando super  
oua reducuntur et fiunt habilia ad generationem.

Tertio ponit de perdice quia dicit quod solo auditu maris concipit quamuis  
230 nihil imprimat.

Quarto ponit exemplum de datilo femina quia si ponatur iusta masculum, si  
uentus transeat a mare in feminam, maturat ipsum et reddit ipsum fecundiozem. et  
sic reducit ipsum de potentia in actum quamuis nihil imprimat.

Sed in homine et capra et in animalibus incompletis oportet quod sperma sit  
235 materialis pars concepti, et per hoc satis soluitur ad rationes.

Nam ad primum dicendum quod duplex est materia unaque est sine forma  
femina et est materia tantum. Et de ista intelligit philosophus cum dicit quod  
materia numquam concidit cum efficiente. Alia autem est materia que est materia  
subiectum et ita secum depositat feminam et talis est materia hominis et animalis.  
240 Et hoc modo se habet sperma in ratione talis materie, et sicut generans fuit efficiens  
sic istud sperma quod uenit a generante, sicut patet in motu lapidis siue in  
projectione lapidis a manu.

---

223. sic *M*; 231. quintum *M*; quarto *add.*

Ad aliud autem dicendum quod non est simile de lege diuina et de natura, quoniam regula diuina est separata et non in mista nature, sed natura est in mista regule diuine. 245

Vel aliter dicendum et melius quod duplex est natura: uniuersalis que intendit, et particularis que operatur. Vniuersalis regulatur a natura diuina et ista ita imprimit uirtualiter et formaliter quod non materialiter. Alia autem est uirtus particularis que operatur in hora coytus et ita inspiciter materiam et est amista cum spermate. Et ideo ista /285ub/ imprimit materialiter et non formaliter solum. 250

Ad aliud dicendum quod est simile de generatione per conuersionem et per propagationem, quia generans per conuersionem abicit unam naturam et imprimit et disponit aliam, ut patet in generatione ignis ex aere. Sed in generatione per propagationem non fit resolutio ad naturam primam, et ideo plus requirit et plus disponit materiam. Et ideo non oportet quod solum imprimat uirtualiter immo 255 etiam materialiter, et per hoc patet solutio ad controuersiam. Dico enim quod medicus intelligit in homine solum et particulariter eo quod tota sua intentio circa hominem uertitur et uersatur. Philosophus autem cum sit artiphex specialis, intelligit uniuersaliter non in homine solum sed in aliis animalibus in quibus carentur enim, sicut uisum est, imprimit uniuersaliter et formaliter et non 260 materialiter. Et sic patet solutio quesitorum.

### **Questio tertia**

Circa decimum sextum librum adhuc restat querere de fluxu spermatis.

Et primo utrum sperma fluat a toto corpore.

Secundo utrum sperma fluat a toto corpore per uiam decisionis uel per uiam  
5 deriuationis.

1. Circa primum sic: sicut scribitur in libro *De anima* et decimo quinto, unicuique indiuiduo data est uirtus generatiua, ut quod non potest continuare per idem in numero, continuet saltem per idem in specie. Sed quelibet pars corporis est corruptibilis, ergo cuilibet parti est conlata uirtus generatiua, ergo sperma fluit a  
10 qualibet parte.

Propterea illud sperma quod extra format membra omnia in actu, prius in corpore erit in potentia, ergo cum ipsum decisum formet omnia, manifestum est quod sperma uenit ab omnibus membris.

Propterea dicit philosophus quod sperma est superfluitas ultimi cibi, sed ista  
15 superfluitas est in quolibet membro, ergo sperma fluit a quolibet membro.

Propterea digestiua, augmentatiua sunt in quolibet membro, ergo sperma quod est materia generante fluit a quolibet membro.

Propterea dicit Auicenna quod relinquitur nutritiue, mandatur generatiue, sed nutritiue materia relinquitur cibus membro, ergo sperma fluit a quolibet  
20 membro.

---

1. questio tertia *mg.*  
18. dicit *add.*

In contrarium arguit philosophus sic: si a quolibet membro ueniret sperma, tunc loripes generaret loripidem et monoculus monoculum. Sed multociens e contrario accidit, ergo a quolibet membro non fluit sperma.

Propterea ex spermate generatur fetus sic ex lacte nutritur. Sed lac uenit a membris determinatis in corpore, quoniam generatur a materia interuisa, ergo 25 sperma similiter a parte determinata et non a toto corpore fluit. Sed fluxus spermatis est duplex: unus formalis et sic solum uenit a testiculis, alius materialis et sic fluit a quolibet membro.

Ad oppositum in contrarium dicendum quod philosophus non negat quin sperma fluat a toto corpore, sed negat quod non deciditur a substantia cuiuslibet 30 partis corporis.

Ad hoc quod tu obicis quod loripes tunc generabit loripidem, dicendum quod uirtus fortis potest suplere defectum illum. Vnde licet non fluat sperma in loripide, uirtus tamen fortis supplet istum defectum et generat pedem ex alia materia.

Ad secundum dicendum quod non est simile, nam sperma immediacius et 35 essencialius ordinatur ad conceptum, cum sit principium generationis, quam lac quod est principium nutritionis. Lac enim non nutrit membra nisi prius conuertatur, sed membra immediate generantur ex spermate, et ideo et cetera.

**2.** Circa secundum sic sicut dicit philosophus in hoc libro: conceptio non est nisi per delectationem, et delectatio per emisionem. Ergo ab illis in quibus est 40 maior delectatio, fluit sperma, sed hoc est in officialibus, ergo ab officialibus fluit sperma.

Propterea sicut dicit philosophus in decimo quinto, sperma asimilatur multum cerebro, unde dicit in decimo sexto quod quando homo fuerit multi coitus, debilitatur eius uisus. Ergo cum cerebrum sit membrum officiale, a membris 45 officialibus fluit sperma plusquam a consimilibus.

---

22. loripes *M*; 23. sperma *M*  
26. fluit *mg.*; 27. testiculus *M*  
41. fuit *M*



Propterea scribitur in decimo quinto quod sperma mouet et distinguit materiam concepti, ergo ab illis membris in quibus est maior distinctio, plus fluit sperma, sed hoc est in officialibus, ergo ab officialibus plus fluit sperma.

50 Contra, uirtus generatiua est ramus uirtutis naturalis. Sed uirtus naturalis operatur per consimilia, animalis autem per officialia, ergo a consimilibus fluit sperma et non ab officialibus.

Propterea sperma est superfluitas ultimi cibi, sed cibus est et nutrimentum non debetur officialibus nisi per consimilia, ergo a consimilibus fluit sperma et non  
55 ab officialibus.

Propterea dicit Auicenna quod relinquitur nutritiue principaliter est a membris consimilibus, ergo a similibus membris principaliter fluit sperma, quod concedo materialiter loquendo. Cum enim superfluitas ultimi cibi sit sperma, et cibus non debetur officialibus nisi per consimilia, materialiter plus uenit sperma a  
60 consimilibus in quantum consimilia, sed formaliter et uirtualiter uenit ab officialibus, sicut a consimilibus.

Ad primum argumentum dicendum quod uirtualiter fluit sperma ab officialibus, sicut a consimilibus, et ratione uirtutis animalis est delectatio in officialibus.

65 Ad secundum dicendum quod sperma fluit plus a cerebro quam ab aliis membris. Sed hoc non est in quantum est officiale, sed in quantum est consimile. Cerebrum enim est eiusdem nature in toto et in parte, sicut sperma. Per iam dicta patet solutio ad tertium argumentum.

Circa tertium dicit philosophus quod omnis passio magis /286ra/ facta  
70 abicitur a subiecto, ergo cum in coitu sit passio, quia alio modo non esset delectatio, aliquid abicitur a subiecto, ergo sperma uenit a uirtute membrorum.

Propterea in generatione fetus a quolibet membro relinquitur uirtus in spermate ad generandum sibi simile. Sed sicut se habet uirtus ad uirtutem sic

---

48. fuit *M*

69. quod *add.*

substantia ad substantiam. Ergo cum substantia, ergo cum uirtus spermatis decidatur a uirtute membrorum subiecti spermatis deciditur a substantia membrorum. 75

Propterea spiritus magis sunt consimilis nisi quam partes membrorum, sed cum spermate deciduntur spiritus, ergo forciori ratione partes membrorum.

In contrarium arguit philosophus sic: quia si sic esset, esset magis dolor in coytu propter solutionem continui. 80

Propterea nullum agens naturale uel artificiale dat aliquid patienti de ueritate sue substantie.

Propterea in generatione per conuersionem que est minus nobilis, generans generato nihil dat de substantia sua.

Propterea sperma est ultimi cibi superfluitas, ergo non fluit a ueritate membrorum. 85

Iusta hoc queritur de controuersia inter philosophos et theologos. Nam theologi dicunt quod ex ueritate membrorum generatur fetus, quia alio modo non contraheret peccatum originale a parentibus .

Ad hoc dicendum quod sperma secundum philosophum non uenit a ueritate membrorum, sed ex superfluitate residuitatis materialiter sed uirtualiter uenit a ueritate membrorum, et sic loquuntur teologi. 90

Vel dicamus quod duplex est caro: quedam est caro penitus coagulata et uersa in naturam membri et talis nec secundum theologycum deciditur in generatione. Et est quedam caro nouiter coagulata et aliqua pars istius bene potest decidi in generatione, et sic loquuntur theologi et hoc non contradicit philosopho. 95

Ad primum argumentum dicendum quod aliquid abicitur a generante, sed hoc non est membrum uel pars membri sed superfluitas ultimi cibi. Vel dicamus quod si aliquid abicitur, hoc est caro nouiter coagulata.

---

89. parentibus *M*; 92. loquitur *M*

94. conuersa con- *expunctuatum*

100           Ad secundum dicendum quod uirtus deciditur a uirtute mediante spiritu.  
Spiritus enim sunt latores uirtutum. Per hoc patet solutio ad tertium.

## LIBER XVII

### Questio prima

*Iam ergo narrauimus causam sterilitatis mularum et cetera.*

Habito de generatione spermatis et de decisione, consequenter queritur de infusione anime in spermate.

Primo dato quod sit primo utrum in spermate sit substantialis uirtus. 5

Secundo dato quod sit ibi anima utrum actu uel potentia.

Tertio utrum sit motor et perfectio uel sicut motor solum.

Quarto cum anima sit ibi in potentia, quid redducat istam potentiam ad actum utrum aliquid aliud.

Quinto utrum ista uirtus egrediatur a corpore uel ab anima. 10

Sexto utrum ab anima utriusque parentis uel ab anima patris solum.

Septimo utrum ista uirtus sit una numero uel plures.

1. Circa primum sic scribitur in octauo *Physicorum*: in habentibus ordinem non est ponere posterius sine priori. Sed sperma nutritur et augmentatur, et isti sunt secundi actus, ergo habet primum actum qui est uiuere. Sed uiuere non est nisi ex 15 substantia anime, ergo substantia anime est in spermate.

---

1. questio prima *mg.*

2. mulierum *M*; mularum *add.*

5. secundo *M*; primo *add.*

Propterea dicit philosophus quod embrio uiuit uita plante, sed uita in planta est a substantia anime, ergo similiter in spermate.

Propterea completum et incompletum non faciunt diuersitatem in specie nec  
20 in numero. Idem enim homo est uir et puer, sed fetus completus uiuit a substantia anime, ergo similiter ante complementum.

Contra scribitur in libro *De generatione* quod omnem generationem precedit alteratio actus, forma actiuorum sunt in paciente, et dispositio, ut scribitur in secundo *De anima*. Ergo sicut formam corporalem precedit dispositio ad illam  
25 formam, sic formam spiritualem, ergo ante complementum fetus est ibi uirtus et non substantia.

Propterea scribitur in principio decimo quinto et in principio *De anima* quod unicuique corruptibili data est uirtus generatiua, ut generet sibi simile in specie. Ergo cum anima uegetatiua et sensitiua sit corporalis, data est ei uirtus generandi  
30 sibi simile in specie. Ergo fetus ante complementum uiuit et augmentatur a uirtute anime et non a substantia.

Propterea omnis causa nobilior est suo causato, ergo cum anima sit impartibilis, si substantia anime esset in generato tunc effectus esset coequalis scilicet anime generati, anime generantis. Sed hoc est impossibile, ergo in generato  
35 ante complementum non est substantia anime sed uita.

Quod concedo, et ponit philosophus exemplum in decimo sexto de motu projectorum. Nam sicut in lapide iactato mouetur lapis per uirtutem motoris non per substantiam, unde si statim corrumperetur manus que proiecit lapidem, nichilominus moueretur lapis per uirtutem motoris que est coniuncta lapidi. Vnde  
40 manus est principium remotum, uirtus autem est principium coniunctum et proximum.

Similiter dico quod sperma uiuit et augmentatur et nutritur per uirtutem decisam a parentibus, et non per substantiam anime.

---

35. uitam *M*

Ad primum in contrarium dicendum quod nutrire, uiuere insunt spermati per substantiam anime. Virtus enim que nutrit et uegetat sperma, egreditur a substantia anime ipsorum parentum. 45

Ad secundum dicendum quod sicut est in spermate, eodem modo in planta est. Nam /286rb/ semen plante uiuit per uirtutem decisam a planta, et illa uirtus est causa anime uegetatiue in complemento. Vnde tu non comparas recte et quia comparas fetum completum ad plantam incompleta. 50

Ad tertium dicendum quod completum et incompletum circa idem non facit diuersitatem in numero, sicut in puero et in uiro eodem super puero et uiro. Sed circa diuersa bene facit et sic est in proposito. Nam incompleta est in fetu a uirtute anime parentum, sed multa completa est a substantia anime ipsius fetus.

2. Circa secundum sic dicit Aristoteles et Galenus in libro *De complexionibus*: quod omne quod operatur operatur per illud quod est actu, ergo cum operationes anime sint in spermate, oportet quod anima sit ibi actu. 55

Propterea sicut ex anima penitus generatur anima in fetu, sic ex corpore corpus. Sed ex corpore non generatur corpus nisi generans, sic in actu. Ergo ex anima in potentia non potest generari anima in spermate, sed oportet quod sit ibi anima actu. 60

Contrarium autem dicit philosophus in XII, et hoc uolunt medic, quod uirtus naturalis operatur per consimilia, animalis autem per officia. Sed ante complementum fetus non sunt ista membra in actu sed in potentia solum, ergo similiter ibi est anima non in actu sed in potentia. 65

Quod concedo cum philosopho.

Ad primum in contrarium dicendum quod operationes anime in fetu apparent per uirtutem anime parentum que est in actu, sicut uirtus motoris est coniuncta actu lapidi qui mouetur.

Ad secundum dicendum quod non est substantia de generatione corporis ex corpore et anima ex anima, quia anima magis est formalis et spiritualis quam 70

corpus, et ideo facilius se multiplicat quam corpus, sicut ignis qui plus habet de forma quam aliud elementum, facilius se multiplicat.

75 3. Circa tertium sic dicit philosophus in decimo sexto: quod embrio si pungeretur, restingeret se, sed non possunt fugere sensitium, nisi anima sensitua esset ibi tamquam perfectio, ergo anima est ibi sicut motor et perfectio.

Propterea dicit philosophus idem: quod non est simile animal et homo. Vnde prius est animal quam homo. Sed non esset animal nisi esset anima tamquam perfectio, ergo anima est ibi tamquam perfectio et motor.

80 Propterea scribitur in libro *De motu cordis* quod primi actus exeunt a substantia anime, secundi a uirtute. Sed primi et secundi sunt in spermate. Viuit enim sperma et nutritur et hoc autem non esset nisi perfigeretur ab anima quantum ad substantiam et uirtutem, ergo anima est in spermate tamquam motor et perfectio.

85 Contra dicit philosophus quod anima est in spermate in potentia et non in actu. Sed omne quod est perfectio est in actu, ergo anima est in spermate tamquam motor et non tamquam perfectio.

Propterea anima sensitua operatur per officialia, uegetatiua autem per consimilia. Sed in spermate non sunt membra ista, ergo non est anima uegetatiua et sensitua sicut perfectio, sed solum sicut motor.

90 Propterea si esset ibi anima sicut perfectio, tunc embrio esset animal. Sed hoc est impossibile, quia nihil est in genere quin sit in aliqua eius specie. Ergo cum embrio non sit in aliqua specie animalis, embrio non est animalis.

Ad hoc dicendum quod anima in spermate est sicut motor et non sicut perfectio ante complementum. Patet enim ita esse motor quod non perfectio et e  
95 contrario sicut patet in membro paralitico. Est enim ibi anima tamquam perfectio, non tamen tamquam motor. E contrario autem est de spermate, quia anima est ibi tamquam motor et non tamquam perfectio.

Ad primum in contrarium dicendum quod fuit tale. Dicit philosophus quod oculus mortuus non est oculus nisi equiuoce, similiter sperma mortuum, ut

---

83. a M

sperma polutionis non est sperma nisi equiuoce. Sed in oculo uero est anima 100  
tamquam perfectio, ergo in spermate. Istud fuit post argumentum.

Et dicendum est quod oculus non est oculus uniuoce, †din..sic† uel sicut  
eo quod in ipso est anima tamquam perfectio. Vidimus enim in oculo ceco quod  
anima est uel tamquam perfectio, et tamen oculus cecus non est oculus nisi  
equiuoce. Similiter dico quod ad ueritatem spermatis non requiritur quod anima sit 105  
in eo tamquam perfectio, sed sufficit quod uirtus sit in spermate tamquam motor.

Ad secundum dicendum quod fugere nocituum potest esse dupliciter: aut  
ordinate et sic anguila fugit ignem, aut inordinate sic cauda anguile adscisa fugit  
ignem et iterum regreditur in ignem. Dico ergo quod fugere nocituum ordinate est  
ab anima que est perfectio, sed inordinate non. Et fugere nocituum inordinate est 110  
in enbrione.

Ad tertium dicendum quod animal prius est natura quam homo, sed fetus  
tempore simul est animal et homo, sicut in morte, simul tempore deficit esse animal  
et homo, et tamen prius natura definit esse homo quam animal.

Ad quartum dicendum quod autor *De motu cordis* loquitur et de 115  
operationibus que fiunt a presencia anime, et non de illis que fiunt a uirtute.

4. Circa quartum sicine reducens aliud de potentia in actum est nobilius eo  
quod reducitur, sicut ens actu nobilius est ente in potentia. Sed anima est nobilior  
quam uirtus, ergo uirtus non potest in fetu reducere animam de potentia in actum.

Contra, dicit autor *De motu cordis* quod secundi actus egrediuntur a uirtute 120  
anime, sed secundi actus sunt in spermate, ergo reducuntur de potentia in actum per  
uirtutem.

Quod concedo et hoc uult philosophus.

Ad argumentum autem in contrarium dicendum quod uirtus non est  
principium primum reducendi animam in fetu de potentia in actum, sed solum 125  
medium. Anima enim parentum mediante uirtute decisa a spermate reducit animam  
in fetu de potentia in actum.

---

120. egreditur *M*



5. Circa quintum sic: potentie diuersificantur, sed spiritus qui sunt latores uirtutum, oriuntur a corpore, nam spiritus generantur ex sanguine, ergo similiter  
130 egreditur a corpore.

Contrarium dicit /286ua/ philosophus in libro *De anima*, quod ab anima uegetatiua egrediuntur operationes tres: sed nutrire et aumentare et uiuere. Virtus enim egreditur ab anima et non a corpore.

Ad hoc quod obicis dicendum quod uirtutes distinguntur per organa  
135 radicaliter et non radicaliter, unde licet uirtus sit formaliter in spiritu tamquam in subiecto deferente, tamen radicaliter egreditur ab anima.

6. Circa sextum sic scribitur in decimo octauo: quod uirtus asimilatiua patris aliquando superat assimilationem matris, aliquando autem est e contrario, unde fetus aliquando asimilatur patri, aliquando anima asimilatur matri. Hoc autem non  
140 esset nisi uirtus spermatis exiret ab utroque parente, ergo ista uirtus egreditur ab utroque parente.

Contrarium autem dicit philosophus in decimo quinto quod mas dat animam et uirtutem uel formam, et femina materiam, ergo a patre exit uirtus ita quod non a matre.

145 Propterea in generatione per conuersionem paciens nihil dat nisi materiam, et agens uirtutem et formam, ergo similiter est in generatione per propagationem.

Ad hoc dicendum quod ab utroque exit uirtus, sed principaliter a patre.

Ad primum in contrarium dicendum quod philosophus non negat quin ab utroque ueniat, sed uult quod principaliter ueniat a patre.

150 Ad secundum dicendum quod non est simile, nam in elementis generatio unius est corruptio alterius, per propagationem uel decisionem feminis ex duobus generatur tertium.

7. Circa septimo sic scribitur in septimo *Prime philosophie*: eadem sunt numero quorum materia est eadem. Sed quelibet uirtus in eadem materia radicatur  
155 scilicet in spiritu et calore, ergo uirtus ista est una numero.

Propterea motus distinguitur per comparisonem ad finem, sed omnes uirtutes et operationes sunt propter eundem finem in numero scilicet propter complementum fetus, ergo ista uirtus est una numero.

Contrarium autem dicit Auicenna et Iohanitius et alii auctores medicine quod uirtus generatiua habet quinque ramos uel uirtutes: perforatiuam, concauam, 160 lenitiuam, asperitiuam, asimilatiuam.

Propterea uirtutes et operationes diuersificantur per organa, sed iste uirtutes sunt in diuersis organis, numero ut concaua in stomacho, perforatiua in aure, ergo ista uirtus non est una numero sed plures.

Ad hoc dicendum quod iste uirtutes possunt refferi ad suum principium a 165 quo oriuntur scilicet ad animam, et sic est una numero et non plures. Et sic loquitur philosophus et procedunt prime rationes, uel etiam per relationes ad finem ultimum uel per relationem ad medium quod est spiritus omnibus istis modis est uirtus numero. Sed referendo ad diuersas operationes diuerse sunt uirtutes in numero, sic sunt operationes. Et sic loquitur medicus qui principaliter considerat operationes. 170 Per hoc patet solutio ad primum argumentum in contrarium.

Ad secundum dicendum quod refferendo ad operationes diuerse sunt uirtutes numero, sed referendo ad medium uirtutis una est uirtus numero, sicut unum est medium scilicet spiritus. Et nota quod lux aliquando est in materia terrestri, et tunc dicitur carbo. Aliquando in materia aerea, et tunc dicitur flama. 175 Aliquando in materia simplici propria, et tunc dicitur proprie lux. Prime lucis proportionalis est anima uegetatiua, secunde senssitiua, terciie intellectiua.

**Questio secunda**

***Et etiam genus piscium facit oua et cetera.***

Circa decimum septimum restat querere de mediis uite que sunt media uiuendi animam cum corpore.

5 Et primo de calore.

Secundo de spiritu.

Circa primum queritur primo utrum calor sit medium uite uel frigus.

Secundo queritur utrum iste calor sit igneus uel celestis.

Tertio utrum iste calor fluat ab anima.

10 Quartum utrum sit substantia uel accidens.

1. Circa primum sic scribitur in duodecimo: quod natura facit semper quod melius est, et in libro *De generatione* naturam inquirimus desiderare melius. Sed frigus melius est conseruatuum uite quam calor, quia calor destruit suum subiectum et consummit, frigus autem non, ergo medium uite est frigus et non  
15 calor.

Propterea in libro *Methaurorum* scribitur quod corruptio in omnibus naturalibus mistis est per putrefactionem. Corruptio accidentalis, scilicet, calidum per combustionem plus operatur ad putrefactionem quam frigidum, sicut innuit philosophus ibidem, ergo frigus melius debet esse medium uite quam calor.

20 Contrarium autem dicit philosophus et omnes auctores medicine quod uita stat per calidum et humidum, unde scribitur in *De morte et uita* quod calor physicus non cessat depascere suum humidum.

---

1. questio secunda *mg.*

Propterea de motu cordis uiuere est se ipso moueri, et in libro *Physicorum* proprium est animatorum se ipsis moueri, ergo illa complexio que maxime est actiua, est principium uite. Sed hec est calor respectu frigoris, ergo calor est 25 medium uite et non frigus.

Propterea agere debetur forme et pati materie, unde quanto res est plus actiua, tanto habet de forma. Sed caliditas inter omnes qualitates est magis actiua, quia agit in subiectum et in obiectum quod non faciunt alie, sicut dicit Ysaac in libro *De elementis*. Ergo caliditas plus habet de forma, sed uita stat per unionem 30 que est penitus spiritualis cum corpore, ergo medium illius unionis fuit illa complexio que est magis formalis et spiritualis. Hec autem est calor respectu frigoris, ergo calor est medium uite et non frigus.

Quod concedo.

Ad primum in contrarium dicendum quod licet calidum /286ub/ plus 35 consummat quam frigidum, frigidum tamen non potuit esse medium uite, quia uiuere est moueri, frigidum autem immobilitat.

Iterum in iuuentibus est motus a centro ad circumferenciam, ut a corde ad alia membra. Frigidum autem mouet a circumferentia ad centrum. Et per hoc patet solutio ad secundum. 40

Vel dicamus quod quidam est calor extraneus uel extra, et ille operatur ad putrefactionem, sed calor intraneus naturalis non operatur ad putrefactionem.

2. Circa secundum sic scribitur in libro *Methaurorum*: quod sicut mixtum ex primis miscibilibus, sicut complexiones secunde componuntur ex primis, ergo calor naturalis in corpore uiuente est ex elementis, sicut corpus compositum est ex 45 elementis.

Oppositum dicit philosophus in decimo sexto quod iste calor non est igneus, quia calor igneus destruit non uiuificat.

---

39. cicumferentiam *M*; per *add*.

Propterea si calor elementaris esset principium uite, tunc omnia mixta esset  
50 uiuentia quia in omnibus est calor elementaris. Sed hoc est falsum, ergo et cetera.  
Primum.

Ad hoc dicendum quod iste calor in specie idem est cum calore celesti  
igneo. Sed in proprietatibus asimilatur calori celesti, est enim uiuificus, sicut calor  
celestis, radicatur tamen in calore elementari. Vnde ex partibus igneis nutrimenti  
55 generatur iste calor in corde, et quia iste calor est in aliena materia, semper agit in  
subiectum suum consumendo scilicet in humidum radicale quod est pabulum  
ipsius. Et istud humidum est aereum et non aquosum, quia humidum aquosum  
extingueret ipsum, sed humidum est pabulum ipsius. Vnde sicut calor solis ex quo  
est in aliena materia, sicut in mistis, semper consummit et alterat, et similiter calor  
60 igneus, similiter calor nostri corporis. Per hoc patet solutio ad argumenta.

**3.** Circa tertium sic: anima est res penitus spiritualis, sed calor est forma  
corporis. Sed ab eo quod est penitus spirituale et immateriale non educitur forma  
corporalis et materialis, ergo ab anima non fluit iste calor.

Propterea omne quod generat aliud, generat illud aut equiuoce aut uniuoce.  
65 Anima autem non generat calorem uniuoce, quia anima non est calida, nec  
equiuoce, quia calor equiuoce generatur per motum, et anima non mouetur, ergo  
nullo modo fluit iste calor ab anima.

Contrarium dicit philosophus in decimo sexto quod iste calor est calor  
anime.

70 Et ad hoc dicendum quod iste calor materialiter non deciditur ab anima, et  
hoc probat primum argumentum, sed effectiue et equiuoce.

Ad hoc autem quod tu obicis quod anima mouetur, dicendum quod anima  
est primum principium istius caloris, et cor est proximum principium. Vnde anima  
mouet cor, et per motum cordis generatur ipse calor.

75 **4.** Circa quartum sic: spiritualius est anima quam forma uel materia, sed  
complexio est medium inter materiam et formam, est accidens et non substantia.

Ergo calor qui est medium uniendi animam cum corpore, est accidens et non substantia.

Propterea omne quod est obiectum sensus, est accidens. Sed iste calor sensu percipitur, ergo iste calor est accidens. 80

Contrarium dicit Haly quod in corde due generantur substantie: una est calor, et alia spiritus.

Propterea calor est naturalis, est medium in uiuendo, spiritus in cognoscendo. Sed actus cognoscendi est spiritualior quam uiuendi, ergo si medium in uiuendo est corpus, scilicet calor, ergo calor est, iste est substantia et non accidens. 85

Ad hoc dicendum quod quidam est calor qui est in membris, et iste est accidens et non substantia. Secundum quod diximus quod epar est calidum, est etiam alius calor qui est, quia quidem calor mulcebris suavis tactu et iste est substantia et iste est medium. 90

Ad primum in contrarium dicendum quod non est simile, quia inter formam et materiam nihil est nisi sit corpus, elementum enim est primum corpus. Vnde in unione forme cum corpore medium est corpus. Licet enim anima sit penitus spiritualis, corpus tamen est grossum et materiale. Et ideo oportuit quod medium huius unionis esset substantia materialis, minus tantum materialis quam corpus, et subtilior quam corpus uel materia corporis. 95

Ad secundum dicendum quod iste calor est substantia composita ex substantia et forma, sed ratione forme accidentalis est sensus perceptibilis.

Et nota quod quidam est calor infixus in membris, radicans in humido spermatico, et iste non fluit et refluit, sed est radicalis et durat in corpore durante uita. Alius autem est calor qui generatur in corde et epate, et iste calor est fluens. Fluit enim et refluit quia generatur ex materia nutrimenti. 100

---

98. sensu *M*  
102. fluit *mg.*



## LIBER XVIII

### Questio prima

*Iam narrauimus dispositione animalium uniuersaliter et particulariter et cetera.*

Habito de calore, hic queritur de spiritu.

Secundo de exitu anime in esse. 5

Circa primum sic queritur primo de neccessitate spiritus.

Secundo de quiditate ipsius.

Tertio de generatione ipsius.

Quarto utrum spiritus nutriatur.

1. Circa primum sic in unione forme cum materia in elementis non 10  
requiritur spiritus medium, ergo asimili nec in unione anime cum corpore in  
uiuentibus.

Propterea philosophus in quarto probat quod in omnibus mistis dominantur  
grauia, ergo cum spiritus sit corpus mistum, in spiritu dominabuntur grauia. Sed  
grauia elementa, sicut terra et aqua, sunt opauca, ergo spiritus est obscurus et 15  
opaucus. Sed medium in cognoscendo debet participare naturam lucis, ergo spiritus  
non est neccessarius in cognoscendo nec in unione anime cum corpore.

---

1. questio prima *mg.*



/287ra/ Propterea cognoscere actus spiritualior est quam uiuere, sed in uniendo  
medium inter corpus et animam calor naturalis, ergo in cognoscendo erit medium  
20 subtilius. Hoc autem non est nisi spiritus, ergo spiritus est neccessarius.

Propterea anima est lux spiritualis, ergo uiuens animam cum corpore debet  
habere naturam lucis, sed hic est spiritus, ergo spiritus est neccessarius.

Propterea anima debet habere sensum et motum corpori per suas uirtutes.  
Sed uirtus non potest operari sine deferente. Ergo cum spiritus sint latores uirtutum,  
25 sicut dicit Auicenna, spiritus sunt neccessarii.

Propterea in operatione anime cognitiue exterius est lux medium, ergo  
similiter in operatione interiori lux interior. Sed ista lux interior non est nisi  
spiritus, ergo spiritus sunt neccessarii.

Quod concedo. Cum enim uiuere sit moueri ad uitam, requiritur qualitas  
30 maxime mouens, scilicet calor, et cum hic requiritur suum pabulum, scilicet  
humidum, unde cum uirtus anime sit uiuere, ei respondet a parte corporis calor  
naturalis et uiuifficus, et talis uita est in plantis. Sed anima cognitiua uirtutem habet  
influendi uitam et cognitionem, a parte corporis respondet calor naturalis in  
animalibus, a parte cognitionis spiritus. Et causa huius est quia nerui in quantum  
35 sunt flexibiles, sunt medium in mouendo, in quantum parui et clari in cognoscendo.  
Et quia uirtus defertur mediante spiritu, quia eadem est natura medii organi et  
obiecti, ideo medium deferens uirtutem debet habere naturam lucis et propter hoc  
spiritus est neccessarius, quia est lux uel effigiem lucis habens, sicut dicit  
Auicenna.

40 Ad primum in contrarium dicendum quod non est simile, nam forma  
existens in materia non agit in materiam, sed quiescit ex quo est impressa, sed  
anima in corpore continue agit. Corpus enim de se est ponderossum et anima mouet  
ipsum, sed quamlibet differentiam, et hoc facit mediante uirtute. Et ideo requiritur  
quia spiritus sunt latores uirtutum.

---

23. habere *add.*

33. corporis *mg.*

Ad secundum dicendum quod licet spiritus per naturam in mistis sit cum 45  
pauca, tamen per uirtutem anime subtilis ipsum et delectantis fit paruus et clarus.  
Cum enim spiritus esset medium unionis anime cum corpore et anima est lux et res  
subtilissima et spiritualis, oportuit quod spiritus esset corpus subtilissimum,  
secundum quod possibile est naturam substinere et haberet formam que subtilior est  
inter omnes res uel formas corporales supra et spirituales. 50

2. Circa secundum sic medium in unione forme cum materia in elementis  
est accidens et non substantia, ergo similiter in unione anime cum corpore in  
uiuentibus, ergo spiritus est accidens et non substantia.

Propterea in unione anime cum corpore medium est uirtus a parte anime que  
est accidens et non substantia, ergo similiter spiritus qui est medium a parte 55  
corporis, est accidens et non substantia.

Propterea lux subito alterat, unde subito uidemus aperto oculo. Sed  
uidemus extramitendo quia hoc non negat philosophus, sed negat quod extramissio  
sit causa unionis. Ergo cum nullum corpus possit moueri in instanti, spiritus non est  
corpus. 60

Propterea sicut in senssitiua interiori est lux interior medium, sic in  
senssitiua exteriori lux exterior. Sed lux exterior non est corpus sed accidens, ergo  
similiter spiritus qui est lux interior.

Contrarium dicit Haly quod in corde due substantie generantur: calor  
naturalis et spiritus. 65

Propterea omne quod est subiectum accidens est, corpus spiritus est  
huiusmodi. Est enim subiectum deferens uirtutem, ergo spiritus est corpus.

Quod concedo quia spiritus generantur ex subtiliori parte nutrimenti et  
omne corpus semper diuiditur in corpus, cum omne continuum sit diuisibile in  
infinitem. Sed spiritus est corpus subtilissimum secundum quod natura potest 70  
aliquod corpus subtiliare.

Ad primum in contrarium dicendum quod non est simile, sicut uisum est  
prius.

Ad secundum dicendum quod anima minus repugnat unioni quam corpus.

75 Et ideo natura a parte corporis posuit medium et non a parte anime.

Secunda causa est ordo nature, quia natura semper facit quod melius est, et procedit subtiliando. Et propter hoc ponit medium a parte corporis et subtiliat ipsum in fine subtiliationis respectu aliorum corporum ut sit proportionalis anime que est res penitus spiritualis. Sed si esset medium a parte anime, oporteret quod  
80 natura procederet ingrossando, ut illud medium aliquam proprietatem haberet cum corpore. Et hoc est contra ordinem nature, quia natura semper tendit ad esse melius et nobilius et spiritualius, unde procedit subtiliando et non ingrossando.

Ad tertium dicendum quod subito uidemus, sed non subito spiritus coniunguntur cum obiecto. Emissio enim spiritus non est causa uidendi, sed  
85 emissio spiritus est causa certitudinis et discretionis sensus inter omnes alios. Et hoc est quia in isto sensu spiritus non dedigneratur se coniungere cum obiecto quod non est reperire in aliis sensibus.

Ad quartum dicendum quod non est simile de luce interiori et exteriori, nam lux exterior est in aere tamquam in deferente, et ideo est accidens. Sed lux interior  
90 /287rb/ est subiectum deferens uirtutem, et ideo oportet quod sit corpus.

Circa tertium sic.

Et queritur primo utrum spiritus generetur ex opere prime digestiue secunde utrum tercię.

Secundo queritur utrum in qualibet parte corpus generatur.

95 **3.** Circa primum sic: unicuique membro est uirtus insita ad restaurandum deperditum, quia alio modo non posset continuari in esse. Ergo cum in quolibet membro deperdantur spiritus, in quolibet membro generantur, ergo cum in prima et secunda et tertia digestiua deperdantur spiritus, a qualibet istarum generatur spiritus.

---

75. corporis *add.*; 79. anime *add.*

Propterea Ysaac dicit quod per aromatica confortantur spiritus in stomacho, 100  
et confortatur et reparatur digestio, ergo tam in prima digestiua quam in aliis  
generantur spiritus.

Propterea in corde generantur, sed cor secundum philosophum est  
principium secunde digestiue, generat enim sanguinem secundum ipsum, ergo a  
secunda digestiua generantur spiritus. 105

Contra, dicit Auicenna quod ex grossiori parte nutrimenti sit membrum uel  
pars membri, ex subtiliori calor naturalis et spiritus, sed membrum uel pars membri  
non fit nisi actus digestiua, ergo spiritus generantur actus digestiua.

Circa secundum huius sic: spiritus generantur ex tertia digestionem, sed tertia  
digestiua est in quolibet membro, ergo spiritus generatur in quolibet membro. 110

Propterea spiritus est medium unionis anime cum corpore, sed in quolibet  
parte unitur anima cum corpore, ergo spiritus generantur in qualibet parte.

Contrarium dicunt auctores quod generantur in corde.

Ad primum dicendum quod spiritus generantur ex opere tercię digestiue.

Ad primum in contrarium dicendum quod licet in quolibet membro 115  
generentur spiritus, ut in epate et corde, hoc non est nisi per naturam tercię  
digestiue. Epar et cor habent uirtutem tercię digestiue per quam nutriuntur, et per  
illam uirtutem generantur spiritus. Per hoc patet solutio ad tertium.

Vel dicamus quod philosophus non ponit generationem sanguinis et  
secundam digestiuam nisi tamquam in principio recto. 120

Ad secundum dicendum quod quedam est generatio, ut hic spiritus, scilicet  
ex nutrimento, et sic aromatica in stomacho non reparat spiritus, nec etiam in  
cerebro aromatica reparat spiritus per uiam refocilationis. Cum gaudent enim  
spiritus aromaticis et confortantur et uigorantur et etiam exortantur, et hoc modo  
per uiam istam reparantur. 125

---

122, 123. reparant *M*

Ad secundum quesitum dicendum quod in quolibet membro deperduntur spiritus et regenerantur. Sed in corde est generatio sensibilis et minera spiritum unde tamquam in radice.

4. Quarto queritur utrum spiritus nutriantur. Ad hoc dicendum quod spiritus  
130 non nutriuntur et causa hec est sua subtilitas et parua quantitas. Est corpus  
minimum quod potest facere natura. Vnde cum illud quod nutritur proprie,  
restauretur per nutrimentum non pro toto, quia membrum abscisum non potest  
regenerari per nutrimentum. Ideo cum spiritus sint corpus subtilissimum, non  
potest deperdi una pars sine alia, ideo spiritus non nutritur. Sed cum deperditur,  
135 unus spiritus nouus regeneratur. Vnde ex nutrimento si deperditi sunt mille spiritus  
subito, mille statim regenerantur, sicut ergo dico quod spiritus non nutritur sed  
spiritus regeneratur.

Et nota quod sicut est quidam calor spermaticus radicalis in membris et  
quidam fluens qui generatur in corde, sic est quidam spiritus radicalis complantatus  
140 in membris et isti spiritus radicales sunt multi in quolibet †co... et contrarie†  
deperduntur secundum partem, sed secundum totum non durante uita. Sicut enim  
humidum radicale continue consumitur secundum partem et in fine consumptionis  
quando totum consumptum uenit mors naturalis. Si spiritus radicales secundum  
partem continue deperduntur et quando pro toto pereunt sequitur statim mors  
145 naturalis que destinata est unicuique indiuiduo per naturam.

Circa secundum queritur primo de anima uegetatiua et sensitiua.

Secundo specialiter de intellectiua.

5. Circa primum queritur utrum uegetatiua et sensitiua exeant in esse per  
generationem uel per creationem quia quemadmodum se habet forma misti ad  
150 mistum et forma elementi ad materiam primam, sic forma uiuentis ad uiuens. Sed  
forma elementi exit de potentia materie, et forma misti ex unione miscibilium, ergo

---

129. Quarto queritur utrum spiritus nutriantur. Ad hoc *mg.*; ad quartum *lituratum*

138. isti spiritus *expunctuatum*

similiter forma uiuentis exit a potentia materie, ergo per generationem et non per creationem.

Propterea scribitur in *De celo et mundo* quod omne quod cadit sub corruptione, cadit sub generatione. Vegetatiua et senssitiua cadunt sub corruptione, 155 ergo exeunt in esse per generationem.

Propterea scribitur in secundo *Physicorum* capitulo et *De casu et forma* quod frustra est illud quod non includit quod intendit, ergo cum finis nature sit anima senssitiua, illam includet. Aut aliter natura esset frustra, ergo senssitiua exit in esse per generationem, ergo multo magis uegetatiua. 160

Ad oppositum sunt theologi et Agustinus arguit sic uita est nobilior omni forma naturali, ergo uenit a nobiliori quam sit forma misti et elementi. Sed ante uiuens non sunt miste due forme, ergo a forma naturali non generantur uegetatiua et senssitiua, sed exunt in esse per creationem.

Propterea radix nature est a materia, sed quod non ex exigentia materie, non 165 exit a materia. Sed talis est anima senssitiua et uegetatiua, ergo non exeunt a materia, sed exeunt in esse per creationem.

Propterea per contactum omnis naturalis est, ut scribitur in secundo *De generatione*, ergo illud infugit contactum, non est a natura, talis autem est forma uiuentis, ergo non a natura sed ab agente supra naturam. 170

Tunc de controuersia inter philosophum et /287ua/ theologos queritur quia uult philosophus quod senssitiua et uegetatiua educuntur de potentia materie, quia solus intellectus ab extrinseco per creationem.

Ad hoc dicendum quod animalium quedam generantur per propagationem et decisionem seminis, ut animalia completa. Et in hiis non contradicunt quando 175 ueniunt anima uegetatiua et senssitiua in spermate, in potentia et non in actu. Alia exeunt in esse per putreffactionem, et in talibus dicunt quod in potentia materie non est uegetatiua et senssitiua, immo solum preparatur materia et anima creatur. Et

---

154. quod *add.*; 160 *esset M*

165. *tenditur secundum lituratum*

philosophi dicunt contrarium, quod uirtus uenit a corpore supercelesti que sufficit  
180 ad educendum animam de potentia materie. Dicunt ergo sic: quod duo exiguntur ad  
exitum anime in esse. Vnum est preparatio materie, alteratio et subtilatio et sic est  
anima a natura. Alium est subita impressio anime et hec est a prima causa.

Sed tunc obicitur contra ipsos quia eodem modo est de intellectiua, quoniam  
materia preparatur a natura, et impressio ipsius anime est a creatore.

185 Ad hoc dicunt quod non est simile quia preparatio sensitue et uegetatiue est  
a natura, anime intellectiue est a uirtute sensitiua et uegetatiua. Sed preparatio  
sensitiue et uegetatiue est a natura. Alia causa est quia nec quantum ad  
substantiam nec quantum ad operationem, anima intellectiua requirit partem  
determinatam sicut alie. Ideo non oportet ut preparatio sit a natura anime  
190 intellectiue, sicut respectu aliarum.

Quicquid dicant, dico secundum philosophum quod uegetatiua et sensitiua  
educuntur de potentia.

Ad primum in contrarium dicendum quod uita est nobilior omni forma  
naturali. Verum est de forma misti et elementi, et ab istis non causatur anima  
195 sensitiua et uegetatiua, sed a superioribus corporibus, que sunt plena uita, ut dicit  
philosophus.

Ad secundum dicendum quod natura inferior preparat materiam, natura  
superior uel uirtus corporum superiorum imprimit inductiue et eductiue.

Ad aliud dicendum quod intelligitur propositio philosophi in operatione  
200 corporum et non uirtutum, quia in uirtutibus habet locum.

Deinde queritur ex qua materia generetur sensitiua et uegetatiua, et utrum  
exeat a forma misti.

Et utrum ueniat per decisionem uel per eminationem.

Et utrum ab anima uel ab alia natura.

---

181. est *add.*

186. ali *expunctuatum*; 188. quan *M*

Circa primum sic dicit Auicenna: quod ex partibus subtilibus nutrimenti uel 205  
seminis fit membrum uel pars membri ex subtilioribus spiritus, ergo ex  
subtillissimis fiet anima.

Propterea natura agit ex supositione materie, quia non potest educi in totam  
rei substantiam. Ergo si animam inducat, hoc erit ex materia, scilicet ex subtiliori  
parte seminis. 210

Propterea natura ex non corporeis facit corpus sed ex materia et forma. Ergo  
cum ordo nec plus sit ad subtiliandum quam ingrossandum, ex corpore fiet anima  
que est non corpus, sicut ex materia et forma que sunt res in corpore facit corpus.

Ad oppositum est philosophus qui dicit ex uirtutibus fit anima.

Primo arguo sic: diuisio corporis semper in corpora, ergo anima que est 215  
incorporalis, ex materia alicuius corporis non potest educi.

Circa secundum huius sic corpus uiuentis fit ex corporibus elementorum,  
ergo forma ex formis elementorum.

Ad oppositum dicit Auicenna quod uita stat per distantiam a contrarietate,  
sed qualitates elementorum sunt in ultimo contrarietatis, ergo numquam erunt 220  
principium uite.

Ad primum istorum dicendum quod aliquid fit ex aliquo, quia in hoc  
conuertitur, sicut cibus in sanguinem, et sic corporeum non est principium  
incorporei. Alio modo fit aliquid ab aliquo quia per aliquam uirtutem educitur in  
actum quod erit ibi in potentia, et sic per uirtutem que uenit a parentibus in 225  
generantibus per propagationem de potentia que erat in spermate, educitur  
uegetatiua, sensitiua in actu. Et in generatis per putrefactionem hoc facit uirtus  
celestis quod facit uirtus decisa a parentibus in generantibus per propagationem.

Ad primum in contrarium dicendum quod numquam corporale fit  
incorporale per subtilitione, quia corpus est diuisibile in corpora in infinitum, sicut 230  
nec ex materia fit forma, licet ex potentia materie educatur forma.

---

208. educi *add.*



Ad aliud dicendum quod natura supponit materiam, ex cuius potentia educit aliquid in actum et non, ut sit pars eius materialis, ut ex qua.

Ad aliud dicendum quod anima effectiue mediante uirtute et per modum  
235 multiplicationis sicut donum a donatore, tamen medium multiplicando minuitur et ipsa anima ita multiplicat se, quod non minuitur. In generatis per putrefactionem uenit anima a uirtute corporum superiorum, sicut donum a donatore et hoc per sui motum. Vnde si starent, non imprimerent, et secundum diuersos status diuersi modi /287ub/ influunt. Sed anima intellectiua fluit, sicut donum a largissimo donatore  
240 stante quieto sine pena et labore.

6. Circa secundum queritur primo utrum anima exeat in esse per generationem uel per creationem, quia scribitur in primo *Physicorum* quod pene materia est ingenita et incorruptibilis, ergo forma que nihil participat de materia, erit genita. Hec autem est anima intellectiua, ergo et cetera.

245 Propterea dicit Plato et Damascenus: omne quod est ex nichilo, nichilum est redigibile, ergo necesse est, ut se possint multiplicare, ergo anima intellectiua que est ex nichilo, potest se multiplicare. Hoc autem non est nisi per generationem.

Propterea dicit Algazel quod nobilissima est operatio se ipsum multiplicare †for...†. Ergo si sensitiua et uegetatiua possunt se multiplicare, fortiori ratione  
250 intellectiua poterit uel erit deterioris aditionis quam alie.

Ad oppositum dicit philosophus in duodecimo et decimo tertio *Prime Philosophie* quod primum creat per exemplar quod est idem cum ipso. Sed anima intellectiua est exemplar creatoris, unde gerit similitudinem creatoris, ergo immediate emanauit ab illo.

255 Propterea omne illud quod egreditur ab aliquo regreditur ad id inde exiuit. Sed anima intellectiua regreditur ad primum, ergo ab ipso exiuit.

Item philosophus in decimo sexto *De anima* arguit sic: operatio corporalis fit per medium corpora, ergo cum ipso anime intellectiue non respiciat medium,

---

242. pena M

corpore non erit a principio corporali, ergo exiuit in esse per creationem et non per generationem, quod concedo. 260

Ad rationes autem dicendum quod licet de se sit nihilum redigibilis, tamen per uoluntatem primi est incorruptibilis nec indigi operatione que est generatio, licet ista operatio sit nobilis in illis qui indigent, et sic loquitur Algazel.

Hoc habito, queritur utrum anima intellectiua sit mortalis quia forma dat esse materie et conseruat in esse, ut dicit philosophus in tertio *Physicorum*. Ergo si 265 prima materia habet esse incorruptibile forciori ratione, nobilissima forma, que est anima intellectiua.

Propterea corruptio fit per naturam materie, ergo forma que penitus recedit a materia, est immortalis. Anima autem intellectiua est huiusmodi, ergo anima intellectiua est immortalis. 270

Item corruptio fit cum contrario, ut scribitur in *De morte et uita*. Sed anima intellectiua non habet contrarium, ergo est incorruptibilis quia anima intellectiua erit immortalis.

Contrarium autem uolunt Ihoanes Damascenus et Plato.

Propterea ex nichilo est, ergo in nichilum est redigibilis. 275

Ad hoc dicendum quod, sicut dicit philosophus in fine primi *De anima*, intellectus recedit a corpore sicut perpetuum a corruptibili. In decimo sexto solus intellectus uenit ab extrinseco et est quid diuinum et perpetuum. Vnde dico quod anima intellectiua corruptibilis est propter defectum in se ipsa, et sic omnia sunt corruptibilia preter primum. 280

Alia est corruptio propter malam compositionem, ut domus male composita minatur ruinam, et quia anima est bene composita, in non est uelle dei ipsam dissoluere.

Alia est corruptio per naturam materie, ut quia est ex contrariis, aut quia contrarium habet, ut calidum consumit humidum radicale. Et hoc modo loquitur 285

---

277. corruptibili M; 279. corruptibilis M; 280. corruptibilia M  
281, 284. corruptio M

philosophus in *De morte et uita*, et primo modo est anima mortalis, alio modo immortalis.

Hoc habito, queritur utrum prius creatur quam infundatur, quia omnis causa precedit causatum. Sed prima causa est anime intellectiue, ergo precedit, ergo et  
290 eius operatio, ergo creatio prius est quam infusio, cum creatio sit propter infusionem finaliter.

Propterea scribitur in octauo *Physicorum* natura est principium ordinis, ergo in operationibus primi multo magis erit ordo. Ergo cum maior sit ordo in ipso et natura quam in natura, tamen anima prius natura et tempore creatur quam  
295 infundatur.

Idem uult Plato: quod anima creetur in stella compari.

Oppositum uult Agustinus, Aristoteles autem nec dicit hoc nec contrarium.

Propterea actus actiuorum sunt in paciente et dispositio, ergo antequam imprimatur forma, oportet materiam preparari. Hoc autem non est nisi infundendo  
300 creetur, ergo simul infundendo creatur.

Ad hoc dicendum quod sicut forma subito introducit in materiam, sicut anima intellectiua, simul creatur et infunditur. Vnde anima non creatur antequam infundatur. Licet causa precedat, tamen corpus precedit animam, quia oportet ipsum prius disponi.

305 Ad aliud dicendum quod licet ordo in tempore et natura sit maior quam in natura, tamen quia frustra esset ante infusionem, non oportet quod creetur antequam infundantur.

Ad aliud dicendum quod Plato ponit animam in stella compari, propter hoc quod stelle disponunt corpus ad animam, et quia una stella magis habet aspectum  
310 supra unum corpus quod supra aliud.

/288ra/ Hoc habito, queritur utrum in uno corpore sit una anima uel tres, quia ordo est in formis materialibus, sicut in imaterialibus. Sed in materialibus semper

---

306. quam *M*; quod *add.*; 307. ante- *add.*

310. quam *M*; quod *add.*

secunda supponit primam, et tertia secundam, ergo sensitiva supponit vegetativam, et intellectiva sensitivam, ergo tres sunt substantie anime.

Propterea scribitur in libro *De anima*, vegetativa et sensitiva se habent ad intellectivam, sicut tetragonum ad pentagonum. Sed substantia tetragoni est in pentagono, ergo substantia vegetative et sensitive est ubi est intellectiva, ergo sunt tres anime. 315

Propterea in plantis opera naturalia exeunt a substantia vegetative, ergo similiter in homine, ergo et cetera. 320

Propterea oppositum vult Agustinus: quod intellectiva est exemplar creatoris, ergo habebit tres potentias, et natura erit essentia.

Propterea complementum et incomplementum non differunt in substantia, ergo cum iste due sint complete respectu anime intellective, sunt unum in substantiam. 325

Propterea si essent tres in substantia, una non retraheret aliam a sua operatione, nec una aliam impediret.

Contrarium autem videmus, ergo et cetera.

Ad hoc autem dicendum quod sunt tres potentie, una substantia, unde ante inflexionem anime intellective non fuit aliqua aliarum, nisi in potentia in embrione. 330

Ad obiecta autem dicendum quod non est simile de formis corporalibus et spiritualibus quia in intellectiva radicantur alie, et propter hoc excusatur multitudo substantiarum.

7. Hoc habito, queritur quod membrum prius habeat generari, utrum cor vel secundina, quia scribitur in decimo sexto quod cor est primum membrum in omnibus animalibus. 335

Propterea scribitur in decimo octavo quod natura est magis sollicita circa magis necessaria. Sed cor est magis necessarium quam secundina, ergo prius generatur quam secundina.

---

329-330. †nota .... est .... de uirtutibus† *mg. alia manu*

334. secundi *expunctuatum*

340 In contrarium est philosophus in decimo sexto, et Auicenna in tertio et  
†Constantinus† in *Pantegni*.

Propterea sperma est sicut filius expulsus a domo patris, qui prius construit domum, in qua habitat. Ergo cum domus spermatis sit secundina, prius generatur secundina omnibus aliis membris.

345 Ad hoc dicendum est quod secundina primo generatur tum quia est eiusdem nature in toto et in parte, et facilis generationis, et quia semen preseruat ab humiditatibus aquosis in matrice que calorem extinguunt naturalem.

Alia causa est quia causatur uel generatur a calore continenti a sola compressione, sicut pasta, si proiceretur supra ferrum candens, fierit quedam  
350 pellicula.

Ad obiecta autem dicendum quod eorum que generantur in fetu quedam sunt per se et quedam per accidens. Per se, ut que sunt de esse animali et sic cor est primum in generatione. Per accidens, ut secundina que prius generatur ut conseruet semen.

355 Ad aliud dicendum in generatione quod secundina neccessaria est ad generationem, ut continens semen.

Sed tunc queritur ex quo generetur materialiter, et uidetur quod generetur ex menstruo quia fluit et non manet nisi ad tempus.

Propterea natura est sagax, sagacitate cuius non est finis, ergo secundina  
360 que est membrum fluens, generabitur, autem uolunt Auicenna et philosophus.

Propterea finis generationis est ex nutrimento, ergo principium ex spermate secundina est, principium ergo est ex spermate.

Ad hoc autem dicendum quod sicut cutis est ex spermate, sic secundina una causa fuit neccessaria in fiendo ipsius embrionis. Vnde cor et membra principalia  
365 dependent, et quia generatio ex spermate est eius quod est maxime neccessarium, tale fuit secundina, et propter hoc et cetera.

---

357. generetur *add.*

364. necessitas *M* ; neccessaria *add.*

Alia causa est quia subito generatur quando decedit sperma super latera calida ipsius matricis, ideo fit ex maxime habili ad generationem, scilicet ex spermate.

Alia causa est quia oportet ut cito ingrosetur, ideo est ex materia grossa, 370 talis autem fuit spermatica, et ideo et cetera.

Ad obiecta in contrarium dicendum quod membra fluencia, que sunt de esse fetus, generantur ex menstruo, sed secunda in principio generationis generatur ex spermate propter dictas causas.

8. Hoc dicto, queritur utrum uirtus generatiua simul generat omnia membra 375 corporis aut per ordinem.

Secundo de ordine partium inter se, ut de ordine corporis ad alia membra principalia.

Circa primum sic dicit philosophus in decimo sexto sicut generatiua est in generante, sic operatur in generando. Sed in hora coitus fluit sperma a qualibet 380 parte, ergo simul generat quamlibet partem ipsius fetus.

Item ibidem dicit quod in spermate nulum est membrum in actu sed in potentia, ergo simul operabitur uirtus ad quodlibet generandum, ergo simul formabit et simul generabit.

Item nutritiua et augmentatiua sunt in qualibet simul, ergo similiter 385 generatiua que post illas operatur.

Ad oppositum est philosophus in fine decimi sexti et arguitur sic: generatio et corruptio procedunt circulariter, sed in corpore animali procedunt ad corruptionem ultimo membra nobilia, ergo prius generantur.

Ad hoc dicendum quod generatio omnium membrorum simul est, non 390 tamen simul distinguntur et complentur. Sed membra principalia propter fortitudinem uirtutis et intentionem nature primo complentur in specie. Vnde exteriora membra sunt interiorum emunctoria, sicut dicit Galenus, /288rb/ et prius

---

384. quare *expunctuatum*; 388. procedit *M*

sunt interiora et maxime principalia, tamen generatiua simul ad omnes partes  
395 operatur.

Ad obiecta autem dicendum quod in generatione duo conciderantur: unum  
est terminus modus, et sic non est generatio in membris simul, quia principalia  
prius. Alio modo accipitur generatiua per preparationem materie ad introductionem  
forme in membro, et sic uirtus generatiua simul operatur in omnibus que ex  
400 spermate generantur.

Ad aliud dicendum quod generatiua uenit a qualibet parte fluxu materiali,  
non autem formali. Et arguitur de fluxu, sed loquendo de fluxu formali prius format  
magis †intenta†.

Circa secundum sic: uirtus naturalis operatur per consimilia et per  
405 complexionem, animalis autem per compositionem organata, ergo complexio fit  
prius quam compositio, membra consimilia erunt prius quam officialia.

Propterea habentium simbolum, sicut dicit philosophus, facilius est  
transitus, sed semen est omogeneum, ergo citius transit in membra homogenea  
quam etherogenea.

410 Ad oppositum est philosophus, dicens quod corpus generatur et Auicenna  
dicit quod ex spermate generantur due ampule, ex una cor et ex alia epar, et ultimo  
membra replentia.

Deinde queritur quod membrum prius sit formatum, et uidetur quod epar,  
quia prius operantur uirtutes naturales in spermate, ergo cum in epate sit iste  
415 uirtutes, epar prius formatur.

Propterea ubi est uirtus naturalis, ibi est uitalis et non reuertitur, et cetera.

Propterea ultimo cessat operatio uirtutis naturalis, ut patet in membro  
paralitico, ergo prius fuit quam alie, ergo et suum membrum, hoc autem est epar.

Ad oppositum est Auicenna quod uitam ignorauit Ypocrates qui preposuit  
420 calorem naturalem uitalem.

---

404. natura *M*

420. uitali *M*

Item dicit Haly quod uita uel est radix uirtutum ergo et suum organum, hoc autem est cor, ergo et cetera.

De cerebro autem arguitur sic: dicit Haly quod signa sunt certiora cordis, deinde cerebri, ergo epate nobilior, ergo prius.

Item cerebrum contra operatur cordi, ab epate recipit cor restorationem deperditi. Sed magis est necessarium temperare calorem in corde quam restaurare deperditum, ergo cerebrum est magis necessarium quam epar, ergo prius generatur quam epar. 425

Ad primum dicendum quod membrum dicitur officiale multis modis, aut quia etherogeneum, aut quia est ad aliquod officium deputatum, unde membra interiora non dicuntur officialia primo modo sed secundo modo. 430

Ad obiecta autem dicendum quod licet cor quantum ad compositionem magis comunicet cum consimilibus, tamen quia intentio nec preualet compositioni. Cor est prius aliis membris.

Ad aliud dicendum quod alius est ordo in uirtutibus et in membris ex se generatis, unde prius operatur naturalis quam uitalis, tamen in eorum organis generatio est e contrario. Natura enim primo creat cor, quia est magis necessarium, et in diuersis naturalis precedit uitalem, in eodem est e contrario. 435

Ad aliud dicendum quod Ypocrates intelligit in animali completo, in incompleto loquitur Auicenna, et sic uno modo est prius naturalis, alio modo uitalis. 440

Ad aliud dicendum quod naturalis non recedit ultimo sed uitalis ultimo recedit, tamen quia operatio naturalis est magis sensibilis, ideo tardius precipitur.

Ad aliud dicendum quod quantum ad finem cerebri in contraoperando est magis necessarium et contra hoc peccat frenesis. Alius est finis quantum ad sensum et motum et contra hoc peccat paralis, et quantum ad istum finem est epar magis necessarium. Et sic non ita cito interficit, sicut frenesis, et primam necessitatem respicit formatam, ideo cerebrum formetur prius epate. 445

---

431. officia *M*



9. Hoc habito, queritur de sterilitate, et primo utrum sterilitas sit res  
450 naturalis aut contra naturam.

Secundo, utrum possit esse a parte anime, sicut a parte corporis.

Tertio, in quo sexu et in quibus animalibus reperiatur.

Quarto, propter quid quedam est curabilis et quedam non et que sit  
curabilis.

455 Quinto, de signis sterilitatis.

Circa primum sic: uirtus generatiua est ramus uirtutis naturalis, ergo  
peccatum in ista uirtute est contra naturam. Contra hanc peccat sterilitas, ergo  
sterilitas est res contra naturam.

Item dicit Auicenna quod natura intendit uniuersale, et eius operatio decedit  
460 supra indiuidum. Ergo quod impedit istum effectum est contra naturam, sterilitas  
est huiusmodi, ergo est res contra naturam. Intendit in nono quod unumquodque  
membrum est egrum quod desistit ab operationibus consuetis debitis. Sterilitas  
impedit sic matricem, ergo est res contra naturam.

Ad oppositum si esset res contra naturam aut esset causa morbi aut morbus  
465 aut accidens, sed nil istorum est, ergo et cetera. Minor patet quia morbus est  
qualitas ordinans indiuiduum ad mortem, sterilitas prolongat uitam, ergo non est  
morbus nec est contra naturam.

Item non est res non naturalis, quia potest corpus diu durare sine eius  
aproximatione, ergo est res naturalis.

470 Ad hoc dicendum quod natura uno modo dicit modum accipiendi secundum  
prius et posterius et sumitur quando dicitur quod causa natura prius est causato.  
Alio modo est rei ueritas ut natura uel forma uel compositum. Secundum hoc  
dicimus quod cimera non est aliqua natura. Alio modo natura nichil aliud /288ua/ est  
quam principium rei quodcumque sit, ut natura est principium motus et cetera. Et  
475 primo modo potest accipi uel uniuersaliter aut particulariter. Vniuersaliter, sicut

---

453. circa primum sic uirtus *expunctuatum*; 466. indiuidium *M*

470. quattuor modis ... natura *mg.*; naturam -m *expunctuata*

475. autem *M*

philosophus, accipit quid quidem generale et corporale. Et de hoc dicit philosophus quod motus nature ad unum tantum aut specialiter sub regimine alio et hoc aut sub regimine uegetatiue, ut in secundo *De anima* omnium natura †constantium† et cetera. Ab ista sumitur uirtus naturalis, cuius est digerere et augmentare. Aut sub natura anime sensitue et uegetatiue, et sic est uirtus regitiua, que ex duabus 480 uirtutibus integratur, que ergo integrant hanc. Sunt res naturales que †de stante† habent contra naturam et que conseruant et corrigi possunt, dicuntur innaturales. Et sic diuidit medicus res innaturales et non naturales et contra naturam, aut accipitur pro mediis nature. Et sic uno modo natura est consuetudo, alio compositio, tertio modo complexio. Et sic patet solutio, quia sterilitas est morbus, ut dicit 485 philosophus. Vnde exercitium membri generatiui moderatum est, et est res conueniens nature et huiusmodi exercitium non est morbus, sed respectu primi operis est sterilitas morbus membri generati. Vnde per accidens continuat uitam respectu secundi usus et non respectu primi.

Circa secundum sic scribitur in uigesimo *Prime philosophie*: quod in 490 omnibus aliis a primo est error, ergo sicut a parte corporis in materia potest esse error, sic a parte influentis, ut anime.

Item quidam est error moralis, quidam naturalis, sed error moralis habet ortum tam a parte corporis, ergo similiter naturalis.

Oppositum autem philosophus quod uult quod uirtutes non deficiunt uel 495 senescunt nisi per organa.

Item dicit in decimo sexto capitulo *De menstruis* quia error est semper a parte materie.

Iusta hoc queritur propter quid uirtus naturalis est alligata materie et errat a parte materie, tamen moralis aliquando a parte anime et non solum a parte corporis. 500

Ad hoc dicendum quod quidam est error uirtutis in se propter sui defectum, quia est ex nichilo. Et priuatio machinatur ad maleficium, ut scribitur in fine primi

---

482. habet *M*; et *add.*

491. eror *M*

*Physicorum*, et per istam uiam possibilis est error in omnibus aliis a primo. Sed tamen in diserientibus et abstinentibus est cum merito uel de merito, et facit  
505 errorem moralem aut est sine discretione, ut in brutis et plantis. Et iste est defectus in se quia non est error moralis, quia ergo moralis prouenit pro principio ex nichilo, ideo in anima et corpore est iste error. Sed naturalis est materia et sciunt principium totum a materia, aut a materia, in qua, ut in organo aut in medio aut in calore et in spiritu, aut ratione obiecti ut semen. Et sic nulla a parte anime est uia erroris. Vnde  
510 non est simile de errore morali et naturali, quia primus est spiritualis, ideo habet principium ab anima, aliquando a corpore. Sed naturalis a materia tamen ideo numquam a parte anime.

Circa tertium sic: error sequitur defectum uirtutis et complementi, rgo cum femina sit incomplementa respectu maris, sterilitas plus erit in femina quam in  
515 mare.

Item uir habet plus de humido spermatico, ergo minus accidit sterilitas a parte sui.

Contrarium uidetur, quod quanto aliquid est nobilius tanto cicius peruenit ad esse quam completa. Ergo cum femina sit minus completa quam mas quare et  
520 cetera.

Item in eadem dicit quod femina est mas occasionatus quod in ipsa magis accidit sterilitas quam in uiro.

Contrarium autem uidimus, et etiam dicit philosophus quod rarius generant mares.

525 Et dicendum est quod in homine plus accidit sterilitas, quia status et situs in hac specie est ordinatus ad aborsum, quia matris pendet plus quam in aliis animalibus.

Alia causa est impropositio materie ad suam formam que spiritualis est totaliter.

530 Alia causa est concursus accidentium, quia patitur corporaliter et spiritualiter.

Alia causa est mobilitas et complementum concepitur.

Alia causa est raritas compositionis propter bonitatem tactus, ideo cicius impeditur conceptio in homine quam in aliis animalibus. Vnde licet ista species sit maxime perfecta, generat tamen effectum maxime perfectum, quia generatio omnis est per defectum. Vnde minoratur filius respectu patris, ideo plus impeditur in causis iam dictis. 535

Ad aliud dicendum quod quantum est ex parte generati, plus est impedimentum in mare quam in femina, quia fit a forciori uirtute que cicius impeditur. 540

Ad aliud dicendum quod deficit femina magis quantum ad complementum non tamen quantum quasi ad formam, unde est mas ocasionatus. Vnde sterilitas aut est a principio intrinseco aut extrinseco, tunc est curabilis, si ab intrinseco aut hoc est ex parte uirtutis, aut organi. Si organi ut si uie oppilentur, sic est curabilis, si per defectum uirtutis, tunc est incurabilis. 545

De signis queritur quare collyrium si ponatur super oculos cadit, usque ad saliuam et ideo sapor sentitur.

Quare etiam si descendat a muliere in os et sentiantur, significat fecunditatem, si autem non, sterilitatem. Dicendum super illum, accidit /288ub/ an plurimum et cetera, quod propter opilationem in mulieribus accidit sterilitas, quod significatur, si sapor colirii non descendat ad linguam, significatur opilatio et quia a cerebro, ut plurimum uenit, non est signum sterilitatis. 550

Sequitur de causis sterilitatis in mulis, et queritur primo utrum sit possibilis mule generatio.

Secundo utrum sit a parte anime sicut corporis. 555

Et utrum sit compositio animarum sicut corporum.

---

539. forcior *M*

550. mulierem *expunctuatum*

Tertio propter quid est in istis similitudo sub confusione, in aliis autem sub distinctione ut †in bobis montanis† adsimilantur. Propter quid maxime asimilantur asinis in moribus, equis asimilantur in quantitate.

560 Propter quid mula generaliter sit maior in quantitate mulo.

Propter quid hec animalia sunt sterilia.

Propter quid odorant stercora, non autem urinas.

Quare cachinant post odoramentum.

Propter quid casus ab asino est deterior quam ab equo.

565 Propter quid equa cum asino feminat, equus autem cum asina masculinat.

Circa primum sicut dicit philosophus in libro *De anima* quod dialetice †diffusio† uane sunt, nisi ad principium nature redducantur, sed principia rationis sunt impermixta, ergo similiter in natura.

Propterea dicit Porfirius quod species cum specie nil generat, sed differentia  
570 cum differentia facit genus. Ergo similiter in natura ex equa et asina nil fiet, generatiua requirit complementum.

Sed contrarium accidit in permutationem specierum, ergo nil potest generari.

Contrarium uidetur, quia dicit philosophus quod generatio fit ex contrariis  
575 uel ex oppositis. Ergo cum species spermate sint et maxime opposite ex ipsis, maxime fiet temperamentum et generatio.

Ad hoc dicendum quod ad generationem talium requiritur magnitudo et aspectus consimilis, et idem tempus impregnandi secundum quod dicit philosophus in decimo sexto. Et quia temperamentum communis reperitur in equo et asino, quia  
580 utrumque est nutrimentum, habent eundem aspectum, et ideo possunt tertium generare quia in proprietatibus communicant.

Ad obiectum dicendum quod logicus recipit principia omnia communia, et loquitur Porfirius et sic: species sunt semper distincte. Sed sunt alia propria principia quedam, que naturalia sunt, et circa ista accidit iste concursus et sicut  
585 circa hec est error.

Vel dicendum est aliter quod quidam est status nature in quo non est error et sic accipitur in †loyca†. Quidam in quo est error et sic accipitur hic.

Ad aliud dicendum quod sicut permiscentur spermata, ita communicant proprietates.

Postea queritur utrum utraque species maneat in generato, quia miscibilia 590 manent in mixto, ergo generatum utramque speciem participat.

Contra scribitur in quinto *Physicorum* medium differt ab extremis in specie ergo et cetera.

Item omnis motus est a contrario in contrarium, ergo ad speciem contrariam, ergo et cetera. 595

Ad hoc dicendum quod mulus differt ab utroque in specie.

Ad obiecta autem dicendum quod quedam est mistio materialis, et in hac utriusque speciem retinet occulte, tamen in forma non, quia unum non potest aliud reprimere, ideo tertium generat. Philosophus autem intelligit de prima commistione. 600

Ad aliud dicendum quod uirtus generatiua in mulo ab utroque fluit, tamen plus a patre et anima a nullo. Vnde uirtus destruitur et ideo nouam speciem generat, unde per accidens est error anime.

Ad aliud dicendum quod est permistio multum similibus, et sic mistio in mulo. Si unum sit subtile, tunc subtile abscondit et sic est in sagittario. Vnde in 605 equo est uirtus fortis, in asino materia multa.

Ad aliud dicendum quod figura parum addit supra materiam. Vnde de quarto genere qualitatis et materia ab asino uenit, ideo figuram eius retinet. Sed eleuatio est a uirtute forti, et ideo cum fortis ueniat ab equo, elebatur ut equus.

Item quia mores sunt sequella communis, complexio est sequella materie, 610 ideo habet mores asini mulus, et ideo est animal astutum et fingit se.

---

604. aut *M*

Ad aliud dicendum quod tenorem uirtutis sequitur sexus, et ideo cum forcior sit uirtus a parte equi et eque, equus cum asina masculinat et equa cum asino feminat.

615 Ad aliud dicendum quod mule multum habent de humido respectu masculorum. Et cum sint animalia sicca, sexus femerinus reprimit siccitatem, ideo cedit in augmentum.

Alia causa est, ut dicit philosophus, quod menstruum in eis cedit in augmentum quod non est in masculis, et ideo et cetera.

620 Ad aliud dicendum quod in iumentis multum de menstruo exit cum urina, unde urine eorum sunt grosse et turbide. Et quia acutus et putridus est iste sanguis, quia fumus est multum acutus. Ideo nolunt odorare. Stercora autem odorant quia ibi est multum de grosso et melancolico, fetido, et ideo quia sunt anima melancolica, propter hoc cum gaudent, et ideo et cetera.

625 Ad aliud dicendum quod eleuant corpora ut prouocetur sternutacio quod fumus ille pungit miringas cerebri, ideo naturam cerebri cogit ut expellat, et inde facit sternutare, et propter hoc rutinant uel cachinant post odorationem stercoreum.

Ad aliud dicendum quod una /289ra/ causa est modus expellendi, quare casus sit deterior ab assino, quia a posteriori expellit, equus autem a toto uel ab anteriori.

630 Item equus est animal maxime necessarium homini et ad ipsum finaliter ordinatur, et ideo natura eius intendit hominem consequere. Asinus autem e contrario propter sui naturam et inordinationem nature.

Ad aliud dicendum quod mula est sterilis, et causa immediata est quia mulus est animal magnum et antequam ueniat ad complementum, difertur per  
635 longum tempus. Et quia in ipsa etate habent multam humiditatem grossam, duram, ideo non sunt membra habilia ad resudandum sperma. Et quia habent uias oppillatas, similiter mula, unde menstruus, unde bene posset impregnari non, tamen posset conseruare uel nutrire.

---

625. ssnutatio M

Alia causa est quia uirtus magis fatigatur aere diuersa quam aere simili, et propter hoc quando fit generatio contra naturam, unum aliud debilitat et corrumpit. 640

Alia causa est quia humiditates expellit cum urina, cum sit animal siccum, huiusmodi humiditates debent esse principium nutrimenti fetus.

Item quia a natura non intenditur, iam a natura dimittitur tale animalis, et ideo non conseruatur, et ideo non est sufficiens ad generationem.

Iusta hoc queritur quare habuerunt membra generatiua cum natura nihil 645 faciat frustra.

Et dicendum quod ista membra generatiua sunt necessaria indiuiduo propter expulsionem superfluitatis et impuritatis, et quia natura indiuidui in istis remanet, ideo habuerunt hec membra.

---

641. animalis *M*



## Questio secunda

Circa duodeuicesimum queritur de ouis.

Secundo de generatione animalium uerme.

Tertio de generatis per putrefactionem.

5     **1.** Et queritur circa primum propter quid partes in ouo sunt distincte, in semine autem generantium est mistio propter confuxionem.

Et propter quid albumen et uitellum a calore celesti liquefiunt, a calore autem igneo coagulantur et condenside condensantur.

10     Queritur etiam de ordine istorum in generatione quod prius generatur utrum uitellum uel albumen.

Queritur etiam de contrarietate inter philosophum et medicum. Nam dicit philosophus quod albumen est calidius, medicus autem dicit contrarium.

15     Ad primum istorum dicendum quod femina in ouantibus potest dare totum principium materiale. Et sic probat philosophus quod semen maris non est pars materialis concepti. Et quia principium generationis et nutritionis fuit semper in ouantibus sub confuxione, dico a femina, ideo natura distingue nititur. Et ideo in ouantibus natura distinxit partes. Sed in generantibus materia generationis principaliter uenit a mare, materia autem nutritionis principaliter a femina. Et quia ita erat distincta natura in semine, utrumque sub confuxione adducit. Alia causa est  
20     finalis, quia in ouantibus fit extra, ex non animali fit animal. Sed in generantibus fit intra, ex non animali animal. Et ideo natura formatiua membrorum, que figurat, perforat, concauat, lenit et asperat et distinguit ubi neccesse est. Ideo cum ista in ouantibus extra operetur, ibi distinguit, quoniam non reccipit calorem a matrice

---

1. questio secunda *mg.*

sicut in generante recipiebatur. Et ideo necesse fuit principium materiale esse distinctum in ovo, ut albumen et vitellum. 25

Ad aliud dicendum quod calor elementaris et celestis et sunt idem in specie, tamen differunt intentione et operatione, quia duo ultimi generare intendunt, prius non, quia destruere intendit, ideo non est ignis plenus vite, ut dicit philosophus in decimo septimo. Et ideo cum impressio fiat in humido, et figuratio in partibus, calor naturalis humefacit ova, calor autem igneus facit contrarium, quia a calore 30 fuit coagulatum, maxime indurat.

Item quia contrarius est, quia est maior naturalis minor, ideo contrariantur et habent operationes contrarias, licet sint in eadem specie. Vnde calor temperatus resoluit et non multum consumit, calor fortis cum resolutione consumit et grossum indurat. 35

Ad aliud dicendum quod secundum quod veniunt ex eodem principio, vitellum prius est materialiter, quia album generatur ex sanguine magis decocto, et prius est sanguis imperfecte coctus quam perfecte coctus. Tamen per comparisonem ad diversa quia albumen est loco spermatis, prius est albumen quam vitellum. 40

Ad aliud dicendum quod lac frigidus est sanguine, sicut mamilla, epate, sicut dicit Galenus, tamen plus habet de calore anime quia plus est dignum et citius nutrit. Similiter albumen **/289rb/** quod ad sui principium materiale, semen et humidum est, et sic loquitur medicus. Tamen plus habet de calore anime quam vitellum, et sic loquitur philosophus. 45

2. Hoc habito, queritur de multitudine ouorum, propter quid sunt plura in piscibus quam in aliis animalibus.

Secundo queritur utrum plura sint in magnis animalibus quam in parvis.

Tertio quomodo vento flante plus multiplicantur.

---

25. album *M*

27. intentionem *M*; 28. uita *M*

50 Circa secundum sic: incipit generatiua ubi augmentatiua terminatur ut  
uigesimo primo anno. Ergo cum omne animal sit in termino augmenti maius, plus  
multiplicantur in animali magno quam paruo.

Item in principio *De celo et mundo* habetur quod tria se habent per ordinem:  
substantia, uirtus et operatio. Ergo cum animalia magna plus habeant de uirtute,  
55 ideo plus habent de operatione, ergo plus generant.

Contrarium autem hoc uult philosophus in sexto: quod parue galine magis  
ouant.

Item animalia magna plus requirunt de nutrimento, ergo minus habent de  
superfluo. Queritur et cetera.

60 Propterea scribitur in *De plantis* quod arbores magne minus fructificant,  
ergo a simili in animalibus magnis.

Item in decimo octauo dicit philosophus quod animalia parua habent  
mutitudinem filiorum, et non magna.

Circa tertium sic boreas confortat uirtutem, ergo intendit eius operatione,  
65 ergo multiplicat oua.

Contrarium in decimo septimo quod flante borea oua sunt pauca, flante  
autem austro sunt multa.

Iusta hoc queritur propter quid pulli reducuntur de potentia in actum ab  
animali sibi simili et dissimili, non sic autem est in generantibus.

70 Item in generantibus non est nisi a femina, in ouantibus a quolibet sexu.

Item propter quid reductio ista requirit calorem extra, in generantibus autem  
non.

Queritur etiam quid rumpit testam in ouo quando cubatur cum in aere  
reccipiat indurationem.

75 Ad primum istorum dicendum quod pisces sunt frigidi et humidi. Ratione  
frigiditatis faciunt oua incompleta, quia sunt humida, ideo multum habent de  
materia, et multitudo sequitur materiam. Sed aues sunt calide et ideo oua completa

---

64. uirtute *M*

faciunt, quia tamen sicca, ideo pauca in numero. Et propter istam causam sunt oua auium oblonga, piscium uero rotunda.

Ad aliud dicendum quod quedam magnitudo est propter exuberantiam 80  
materie cum defectum uirtutis, et sic loquitur philosophus in libro *De plantis altis*.  
Alia est magnitudo cum fortitudine uirtutis, cum habundantia materie, et talis est  
laudabilis. Et primo modo magna galina minus habet de ouis, et sic intellexit  
philosophus.

Ad aliud dicendum quod oua generationis plus fiunt flante borea, quia 85  
boreas confortat uirtutem. Sed oua uenti flante austro, quia auster facit habundare  
materiam.

Ad aliud dicendum quod in generantibus primo agit agens uniuersale,  
deinde particulare lineat et adsimilat in specie, e contrario in ouantibus quia  
particulare incipit et uniuersale complet, et ideo et cetera. 90

Ad aliud dicendum quod testa rumpitur quia continue in cubatione  
remollitur et substillatur, et sic fiet iam accepto ut si diu ibi, ut per decem dies  
moraretur.

Alia causa est a parte rumpentis, quia quando deficit nutrimentum pullo,  
requirit plus de nutrimento et perforat tunc testam et exit. 95

**3.** Hoc habito, queritur cuius modi oua sint meliora ad comedendum,  
utrum oua uenti uel oua generationis. Quia sicut albumen ordinatur ad  
generationem, uitellum autem ad commestionem, sic ouum generationis ad  
generationem, ouum autem uenti ad commestionem quam albumen, ergo ouum  
uenti quam generationis. 100

Contrarium autem uult philosophus, quia dulce nutrit et oua generationis  
sunt magis dulcia, quia sunt magis digesta.

Iusta hoc queritur quare in quibusdam uolatilibus mas et femina ouant, ut  
gallus maxime quando est antiquus.

---

85. ad *add.*

92. acceto *M*; 97. ut *M*

101. generatur in omnis *M*

105 Item propter quid ex ovo uenti generatur animalis monstrosum ut basiliscus.

Item queritur propter quid partes superiores sunt similes gallo, inferiores autem simulantur serpenti, unde est animal uenenosum, quia solo uisu interficit.

Item queritur quare habitat in locis cauernosis, obscuris, absconditis basiliscus semper.

110 Ad primum istorum dicendum quod albumen non est digestionem respectu corporis humani, non ratione uitelli ordinatur ouum ad nutrimentum, et ratione albuminis ad generationem. Dico ergo quod ouum generationis melius nutrit quia magis est digestum et plus /289ua/ habet naturam dulcis.

Ad aliud dicendum quod mola plus accidit in femina hominis propter  
115 habundantiam humiditatis quam in aliis animalibus, et similiter cum gallus sit calidus et humidus maxime in senibus gallis multa habundat humiditas, ideo palluunt, et quia habent testiculos, intra retinent sperma, et sic faciunt oua. Et quia dicit Serapio quando sperma retinetur contra naturam, conuertitur in genus ueneni, ideo animal quod generatur ex ouo galli uenenosum. Et quia partes superiores prius  
120 formantur et distinguntur in quolibet animali, uirtus que est in ouo galli adsimilat sibi partes superiores, sed inferiores asimilantur serpenti quia materia ueneno descendet ad inferiora et generatur animal uenenosum secundum quod †epate†, generaliter in mulieribus Salernitanis, et ideo partes superiores assimilantur gallo et cetera.

125 Ad quesita de generatione basilici soluitur sic: in generantibus agens uniuersale inchoat, particulare autem perficit, in ouantibus autem e contrario. Et quia basilicus est ex ouo, ideo est ibi agens uniuersale operans secundum exigentiam materie, et particulare operans per uirtutem propriam quam recipit a generatione, ut homo hominem, asinus asinum. Et quoniam materia ueneno, tum  
130 quia est contra ordinem nature, tum quia est ex spermate ueneno, ideo uirtus celestis imprimit in materia secundum eius exigentiam, ideo generat partem ueneno animalis. Et quia nature est materiam uenenoam semper transmittere ad

---

125. Et propter istam causam erunt filii similes parentibus et cetera *lituratum*; generantibus *M*

extrema, generat partem uiliorem scilicet caudam serpenti. Item quia propter fortitudinem datur uenenum in extremis, et quia propter hoc uirtus galli remanet. Ideo partem nobilem sibi determinat ut capud uidelicet tamen ratione materie 135 totum corpus est uenenosum. Alia est oppositio, quia gallus ponit oua sua uel ouum suum infimum et concipit ibi putredinem et naturam ueneni. Et uirtus superior ratione putredinis inferius figatur animal uenenosum, superius gallum uirtus particularis.

Alii dicunt quod anas cum bufone coit et sic ex materia uenenosa generatur 140 ouum et inuenitur a gallo et incubat eum et sic distinguit et imprimit suam speciem superius, inferius autem secundum exigenciam materie.

Alii dicunt quod gallus pugnat contra serpentem, ut propter aspectum contrarium. Et sic in pugna sue humiditates inficiuntur et ex illis generatur ouum. Et sic ab opere utriusque agentis generatur animal distinctum, sicut dictum est. 145

Ad aliud dicendum quod illud dicitur esse mundum quod bene ostendit quod in eo imprimitur, et quia oculus est corpus palitum et trasum, nudum, clarum, radiosum, in oculis plus manifestatur uenenum, et ideo quia emitit spiritus uisibiles in uidendo interficit, sicut lupus reddit hominem raucum in primo uidendo. 150

Causa autem propter quam est maxime uenenosum ita quod subito interficit, est quia dicit Serapio quod quia generatur ex spermate preter naturam detento, et quia est ualde amicabile nature, ideo ex eo est deterior passio que est ex menstruo in uiro, ut dicit Serapio capitulo *De matrice*. Et ideo quia generatur sperma galli ad generandum animal ualde conueniens, ideo quando corrumpitur, maxime homini 155 contrariatur.

Propter quid autem habitat in locis absconditis, dicendum quod una causa est a parte generationis, quia aer conculcatus putrefit et corrumpitur. Et ideo cum ita sit in locis absconditis, ibi generatur et conseruatur.

---

134. hoc *add.*

135. *superiorem expunctuatum*

153. est *add.*

160 Alia causa est a parte sue complexionis, quia melancholica est uenenosa,  
unde contra quartanam damus tyriacam, et causa sue complexionis est animal  
timidum, et ideo abscondit se.

Alia causa est a parte modi uidendi, quia animalia, que habent oculos  
radiosos, ut mus siue sorex et gatus uel murilegus. Et quecumque huiusmodi  
165 illuminant sibi medium et maxime de nocte et in lumine peius uident quia aer plus  
est illuminatus de die quam de nocte, et ideo de nocte plus uident. Et quia  
basiliscus est tale animal, ideo habitat in locis absconditis, tenebrosis.

---

166. uadunt *M*; uident *add.*

## LIBER XIX

### Questio prima

*Iam ergo diximus dispositionem cibi et cetera.*

Circa hoc duo queruntur.

Primum est de generatione mediante uerme.

Secundum est de generatione animalium, que generantur per 5  
putrefactionem.

Circa primum queritur primo de necessitate generationis per uermem.

Secundo in quibus animalibus, utrum in sanguineis et utrum in anulosis.

Et in quibus anulosis.

1. Circa primum sic dicit philosophus in decimo septimo: quod ouum est 10  
medium inter animal et non animal, ergo ubi est medium in generatione oportet  
esse ouum, ergo non est uermis necessarius.

Item animal non animali nobilius est et uiuens non uiuente, ut dicit  
philosophus in decimo sexto. Ergo cum animal anullosum sit innobilius quam auis,  
non generabit per uermem, quia est animal et nobilius ouo. 15

Propterea generans est uniuersale, generat uermem, ergo cum in nullo  
communicent generans uniuersale et /289ub/ particulare generans, particulare  
numquam generat uermem.

---

1. questio prima *mg.*; 2. iam ergo...cetera *mg.*



Ad oppositum est philosophus in decimo septimo in loca de apibus.

20 Item non possunt ouare, quia ad ouum requiritur menstruum, ergo nec uitellum, ergo non possunt ouare.

Item non habent sperma quia sperma est ultimi cibi superfluitas in sanguine, ut dicit in libro isto, ergo cum non habeant sanguinem, non possunt ouare.

Ad primum dicendum sic: dicit in decimo septimo quod aliquando deficit  
25 generatio a parte uirtutis, aliquando a parte medii. Hoc autem ratione complexionis aut ex defectu organi, ratione defectus uirtutis, ut in uilibus animalibus, ratione materie, ut in auibus, ratione complexionis, ut in piscibus, quia sunt frigidi et humidi. Vnde dicit philosophus quod non sanguinea sunt debilia et parua, ideo non possunt materiam disponere. Et in auibus est ouum medium, quia est materia  
30 spermatica et menstruum quod non fluit in uermibus. Item quia non habent distinctionem propter sui debilitatem, ideo ouum non potuerunt facere, sed animal uile, et ideo generant uermem.

Ad primum istorum dicendum quod intelligenda est propositio philosophi in modo generationis ouantis et secundum operationem agentis particularis et non per  
35 recursum ad uniuersale.

Ad aliud dicendum quod agens uniuersale potest dare animam sine particulari et non e contrario, et ideo recurrit istud ad illud, non autem e contrario.

Iusta hoc queritur quare agens uniuersale semper facit animal immediate, non autem particulare. Et respondendum est quod particulare operatur respectu  
40 animalis magis completi, ideo uel plura media operatur.

Alia causa est continua operatio agentis uniuersalis et particularis interruptio. Et ideo uniuersale agit simul et disponit, particulare autem requirit materie dispositionem a natura superiori, et ideo et cetera.

---

23. non *add.*; 24. quod *add.*  
27. in *add.*

Ad aliud dicendum quod non sanguinea sunt debilia quia carent sanguine cuius modi est amicus nature, et ideo propter sui debilitatem agens uniuersale 45 recurrit.

Ad aliud dicendum quod plura sunt animalia in aqua quam in terra, unde dicit philosophus in duodeuicesimo quod magis repugnat terra uite quam aqua. Vnde animalia non sanguinea aquatica sunt magis uirtuosa quam terrea, et ideo 50 ouant et non generant uermem.

Ad aliud dicendum quod quantum ad materiam generationis sunt apes habiliora ad generandum quam alia anulosa, sed quantum ad uirtutem minus, unde aranea, formica est frigidioris uirtutis quam apis, et ideo querit suum nutrimentum tamen cum maiori pena et labore, quia minus possunt uolare quam apes, et ideo apes, ratione defectus uirtutis, generat uermem et non ouat. 55

**2.** Circa secundum sic: multe sunt plante que non generant nisi ex semine. Ergo cum omne animal sit nobilius planta, nullum animal generat semen.

Item dicit philosophus in decimo quinto quod sexus est in animalibus distinctis, in plantis non. Ergo ibi est primo generandi in se et in alio, ergo omne animal generatur per decissionem seminis et nullum per putrefactionem. 60

Ad oppositum est philosophus in decimo septimo quod quedam animalia ex limo generantur.

Item autem de motu cordis dicit quod calor est medium in uiuendo et lux in cognoscendo. Sed corpora superiora mediante calore imprimunt animam uegetatiuam, ergo mediante luce imprimunt cognoscitiuam. 65

Item in mundo minori generatur animal ex semine et ex putredine, ut homo hominem et pediculum, ergo similiter in maiori.

Deinde queritur utrum ista animalia sint ex quattuor elementis. Arguitur sic philosophus in quarto *Methaurorum*: quia idem est principium generationis et habitationis. Sed hec animalia generantur in omnibus elementis preterquam in igne, 70 ergo sunt ex tribus elementis.

Propterea dicit philosophus quod hec animalia similia sunt plante, ergo sicut planta est uel generatur ex humido aquoso et sicco terreo, similiter ista, ergo non ex quattuor.

75        Oppositum autem dicit philosophus in quarto *Methaurorum*: quod omne mistum est ex quattuor elementis. Et hic uidetur sic mistio est miscibilium alteratorum uiuo. Hoc autem non esset nisi quodlibet elementum haberet suum contrarium alterans, ergo omnia mista sunt ex quattuor elementis.

Propterea dicit Auicenna quod uita stat per distantiam a contrarietate, ergo  
80 oportet quod quilibet habeat suum contrarium reprimens maxime in uiuente, ergo oportet ibi quattuor elementa concurrere.

Ad oppositum dicendum quod quedam animalia generantur per putredinem.

Ad obiectum in contrarium dicendum quod quedam est nobilitas in se, et sic corpora superiora nobiliora sunt quam homo. Quedam ratione finis, et sic homo  
85 nobilior est omni creatura, similiter nobilitate in se. Omne animal nobilius est planta tamen ratione finis, non quia quedam plante ordinantur ad hominem immediate et quedam animalia mediate.

Vel dicamus quod simpliciter animal nobilius est planta nobilissima.

Ad obiecta autem de secundo quod habitatio non arguit nisi dominium et  
90 non totaliter esse ex illis.

**3.** Hoc habito, queritur quo modo ignis inueniatur in mistione, utrum in propria materia descendat, et si non in propria materia, et /290ra/ utrum iste motus sit materialis uel uiolentus.

Queritur cum quo descendat utrum cum rore aut cum radio solis.

95        Et propter quid grauia adscendunt in materia propria, ignis autem non descendit quando est propria materia.

Et propter quid omnia elementa naturaliter descendunt preter ignem, si aliud admoueatur, ut dicit in *De celo et mundo*.

---

77. esse M

Ad primum dicendum quod secundum quosdam ignis generatur ex reuerberatione luminis et caloris ad duo corpora obpauca, uel per reuerberationem 100 fit calor celestis igneus.

Alia oppinio dicit quod descendit cum pluuiis.

Alia oppinio dicit quod descendit cum rore celesti et lumine et calore uiuificante, unde ros generatur in loco medio inter frigus et estum.

Ad quesitum dicendum quod res habent esse in se ut conseruetur et aliud 105 habet esse, ut in simili multiplicentur, et sic elementa habent duplicem motum ad locum proprium, ut in se saluentur, aliud motum, ut multiplicentur. Vt ignis descendit de candela, ut imprimat se in candelam extinctam, ut dicit philosophus in primo *Methaurorum* et Ysaac *In dietis uniuersalibus*, eodem modo descendit genera mistionis. 110

Alii dicunt quod elementa leuia in quantum sunt partes mundi non descendunt, tamen respectu finis descendunt, cum sint propter mistum, sed hoc idem est.

Ad aliud dicendum quod ignis non est in misto nisi in materia aliena, ut dicit in decimo sexto. Numquam enim apparet in hiis inferioribus nisi in aliena 115 materia. Si enim esset in propria materia non esset consummens sed solum inluminans. Sed in aliena materia habet primum cum secundo actu.

Ad aliud dicendum quod descendit aliquando cum lumine et calore celesti, quandoque autem cum rore et quandoque cum uento et imprimitur aut in simplici aut in misto, et sic uenit cum qualibet impressione. 120

Sed tunc queritur quo modo ueniat cum rore, niue et pluuiis, cum aqua igne extinguat naturali.

Et dicendum quod eius actus duplex est: unus distinctus, secundum quod est in specie distincta, ut ignis in aqua feruente et miscibile in misto. Vnde dicimus quod aqua repugnat actu ipsius ignis manifesto, unum ipsum extinguit, in actu 125 autem indistincto non repugnat, et ideo cum humida impressione descendit.

Ad aliud dicendum quod ignis in propria materia numquam descendit, tamen materia inferior adscendit et subtiliatur a calore celesti, et inferiora non ingrossant superiora nisi in mistione, et ideo eleuatur in fumum.

130 Alia causa est impassibilitas ignis, eius materia cicius corumperetur quam ingrossaretur, ut descendere, sicut non potest infrigidari quin prius corrumpatur.

Alia causa est quia motus cum medio uel ad medium est per graue et leue, et graue quanto magis subtiliatur et leuia melioratur. Ideo natura semper intendens melius corpora grossa subtiliat, sed subtilia corpora non ingrossat, quia  
135 peiorarentur, et ideo et cetera.

Alia causa est ut tangitur in principio *Methaurorum* quod quiquid ad ignem uenit, conuertitur in ignem, et ideo nihil ignem potest ingrossare, et ideo in propria materia non descendit sed in aliena.

Ad aliud dicendum quod ignis numquam descendit nisi propter uacuum,  
140 quia ibi est complexio ultimata et dominatur forma supra materiam. In aliis autem est e contrario et maxime in grauibus, in arere autem medio modo. Et ideo sub lata terra descendit aqua naturaliter aut aer, tamen quia mihi dominatur tunc quia accideret uacuum, et secundum hanc uiam descendit ignis non primo modo, quia est elementum leue in summo.

145 Alia causa est quia corpora celestia cum ipsa communicant, cum sit propinqua eis, ut dicit Aueroys, et ideo ratione conuenientie non descendit.

4. Circa secundum queritur primo utrum putrefacio possit esse uia in generationem.

Secundo utrum idem sit subiectum putrefactionis et generationis.

150 Tertio propter quid mors et uita sunt per principia contraria cum uia in mortem scilicet putrefacio, et in uitam scilicet generatio uigeat per idem principium.

Quarto quare in aquis stantibus cicius fit putrefacio quam in currentibus.

---

132. a M

Circa primum sic scribitur in quarto *Methaurorum*: quod corruptio simul omnium est putrefactio, uiolenta autem combustio. Ergo cum putrefacio sit principium corruptionis, nullo modo erit principium generationis. 155

Propterea scribitur in decimo sexto quod omnis putrefactio est a calore innaturali, sed calor innaturalis principium est corruptionis et non generationis, ergo putrefactio non est uia in generationem.

Propterea dicit philosophus quod putrefactio est quando resoluitur mistum in miscibilia. Sed sicut in mistione est ita generatio, quod nullo modo corruptio ita quod in resolutione misti in miscibilia est ita corruptio, quod nullo modo generatio, ergo putrefactio nullo modo est uia in generationem. 160

Contrarium autem dicit philosophus in fine decimo septimo quod mediate putrefactione et indigestione generantur quedam animalia. 165

Propterea dicit Auicenna et Serapio quod peduculi et uermes arestantur putrefactioni in corpore. Hoc autem non esset nisi ex putrefactione generarentur, ergo putrefactio est uia in generationem.

Propterea scribitur in primo *De generatione* quod /290rb/ natura cum nihil faciat ex nichillo, nihil incorrumpitur quod penitus cedit in nichillum. Ergo licet putrefactio sit corruptio unius, est tamen generatio alterius. 170

Circa secundum sic dicit Ysaac quod omne putrefactum est calidum et humidum. Sed principium uite est calidum et humidum, ergo idem est principium putrefactionis et generationis.

Propterea in elementis eadem est materia corruptionis et generationis, in eadem enim materia corruptio corrumpit formam aeris et imprimitur forma ignis. Ergo cum generatio misti et uiuentis sequatur generationem elementorum in generatione uiuentis, eadem est materia generationis et corruptionis. Sed corruptio naturalis est putrefactio, ergo et cetera. 175

---

159. genera *expunctuatum*; 176. forma *M*

180 Contra dicit philosophus in decimo septimo quia sicut ars resecat  
superfluum et addit diminutum, similiter natura. Sed tota materia putrefacta  
superflua est, ergo ipsa abicitur, ex residuo animal generatur.

Propterea materia putrefacta uia est in corruptionem, ergo nullo modo in  
generationem. Ergo non est idem subiectum generationis et corruptionis et  
185 putrefactionis.

Iusta hoc queritur de controuersia inter medicum et philosophum. Vult  
enim medicus quod omne putrefactum est calidum et humidum. Philosophus autem  
uult in quarto *Metheorum* quod omne putrefactum est frigidum et siccum.

Ad aliud primum istorum dicendum quod quedam est putrefactio, que est  
190 idem, quod resolutio misti in miscibilia, et hec est de qua loquitur in quarto  
*Metheorum* quod putrefactio est corruptio naturalis. Hac enim putredine uel  
putrefactione corrumpitur quodlibet mistum, si delinquantur proprie a materia et  
hec est corruptio ita quod nullo modo generatio et talis putrefactio non est uia in  
generationem. Est alia putrefactio que est ebullitio humidi et permistio puri cum  
195 impuro, et hec est putrefactio febricitate et hec non spoliat speciem. Corpora enim  
putrefacta et non putrefacta idem sunt in specie et hec non est uia in generationem  
sed potius in corruptionem, unde febricitatem generaliter fugiunt uermes et  
pediculi.

Et est alia putrefactio que mutat speciem, ut sanguis in apostemate per  
200 putrefactionem fit sanies et talis non est uia in generationem animalis. Et quarta  
putrefactio resolutio subtilis que est in misto et remanent partes grosse. Talis autem  
putrefactio est in sanguine abstracto per flebotomiam, separatur enim subtile a  
grosso ita, quod aquositas subnatat. Sed ista resolutio potest esse a calore  
elementari corruptiuo, et sic non est uia in generationem, uel a calore celesti  
205 uiuifico, et sic est uia in generationem. Corpora enim superiora mediante lumine et

---

186. medium *M*

188. Methaphisicorum *M*; *Metheorum add.*

191. Methaphisicorum *M*; *Metheorum add.*; corruptio *M*

192. corrumpitur *M*; a *expunctuata*; 193. corruptio *M*

197. et *add.*; 200. generatione *M*

calore cum uirtute quam habent sub intelligentia mouente, influunt in materia disposita mediante calore intenta mediante lumine animam sensitiuam uel cognitionem, sicut in minori mundo per uirtutem uitalem anime generatur animal uile in materia putrefacta, per hoc patet solutio.

Ad primum argumentum, illa enim putrefactio, de qua loquitur philosophus, 210 non est uia in generationem.

Vel dicamus quod licet putrefactio sit corruptio rei putrefacte, est tamen generatio alterius. Intentio enim nature est construere et generare et corrumpere nisi per accidens, ut aliud generetur.

Per hoc satis patet solutio ad secundum, nam talis putrefactio non est uia in 215 generationem.

Vel dicamus per hoc patet solutio ad tertium. Licet enim calor putrefaciens sit innaturalis rei putrefacte, est tamen naturalis rei generate. Vel dicamus quod licet principium sit innaturalis, tamen postea quando calor uel calidum radicale exhaustum fit contranaturalis sicut ethica per moram diuturnam uel calor innaturalis 220 ethice fit cumnaturalis ita quod non sentitur.

Ad secundum quesitum dicendum quod idem est subiectum putrefactionis et generationis.

Ad primum in contrarium dicendum quod natura resecat superfluum, resecat enim partem materie putrefacte, non quia putrefacta, sed quia ad 225 generationem talis animalis superflua sicut natura in flebotomiam expellit sanguinem putredum, non quia putredus sed quia superfluus, flebotomia enim non eligit.

Ad secundum dicendum quod licet putrefactio sit corruptio rei putrefacte, disponit tamen ad uitam rei generate. 230

Ad quesitum iusta hoc dicendum quod putrefactio aut est infieri, et sic loquitur medicus, et sic omne putrefactum est calidum et humidum, aut in facto

---

207. intentam *M*; 213. corupere *M*

231. queritur *expunctuatum*



esse uel termino, et sic loquitur philosophus et sic ponit omne putrefactum frigidum et siccum, quia iam exhaustum est totum humidum a calore continuitatis. Vel  
235 dicamus quia loquendo de calore et humiditate proprio et radicali, omne putrefactum est frigidum et siccum, quia calidum et humidum radicale consumitur et euaporatur per calorem continentem. Et sic loquitur philosophus. Sed loquendo de calore extraneo, cum putrefactio uigeat per calidum et humidum, licet putrefactum calido et humido radicali depauperatum concipit tamen calidum et  
240 humidum accidentale et sic loquitur /290ua/ medicus.

Ad tertium quesitum dicendum quod mors terminus corruptionis, et propter hoc patet quod in nullo communicat cum principiis generationis, sed sunt ex oppositis principiis. Sed putrefactio est uia in mortem, et propter hoc communicat cum principiis uite, quia principium uite et putrefactionis agunt et paciuntur  
245 inuicem prima licet putrefactio sit, corruptio unius est tamen uia in generationem alterius, et quia uita stat per calidum et humidum, similiter putrefactio que est uia in uitam.

Ad quartum dicendum quod aque stantes cicius putrefiunt. Vna causa est forcior reuerberatio luminis et caloris. Aque enim currentes labuntur et ita furtiue  
250 efugiunt repercussionem radiorum. Vnde dicit philosophus quod litora maris habundant calore magno, quia enim radii non possunt bene reperi in mari, reperiuntur ad litora et generatur magnus calor.

Secunda causa est quia depurat et mundificat a sordibus rarefaciendo partes. Vnde Ouidius dicit et uitium capiunt ne moueantur aque. Vnde per  
255 confricationem generantur ampule cum spuma.

Tertia causa est quia per actionem caloris in aquis stantibus permiscetur purum cum impuro, quia per motum non efugiunt repercussionem radiorum, et ideo in aquis stantibus plus generantur animalia per putrefactionem quam in curentibus.

---

241. corruptionis *M*

254. moueatur *M*

256. statibus *M*

## Questio secunda

Circa undeuicesimo restant quedam querenda.

Et primo queritur utrum animal possit generari in igne.

Secundo utrum in aere.

Tertio in quo elemento plura animalia generentur.

5

Quarto in quo elemento maiora.

Quinto de generatione animalium ex arboribus sicut uulgus communiter aserit.

1. Circa primum sic, sicut scribitur in decimo sexto: calor et spiritus sunt medium uite, sed calor est calidus et humidus aereus naturalis. Dico quod spiritus calidus et siccus igneus, ergo in aere et igne plus generantur animalia quam in aliis elementis, cum ista plus communicent cum mediis uite.

10

Propterea scribitur in undecimo quod aues plus participant de uita quam pisces quia pisces sunt frigidi, et calor plus operatur ad uitam quam frigidum, ergo in elementis calidis plus generantur animalia quam in frigidis. Hec hec autem ignis, aer, ergo et cetera.

15

Propterea dicit Auicenna in libro suo *De anima* quod uita stat per distantiam a contrarietate. Sed contrarietas est gratia materie, ergo cum ignis maxime recedat cum contrarietate, ergo maxime est principium uite.

Contrarium autem dicit philosophus in undecimo: quod tria elementa sunt plena uita, sed in quarto non est locus generationis.

20

---

1. questio secunda *mg.*

10. quod *M*; 15. generant *M*

Propterea scribitur in quarto *Methaurorum* in principio quod quiquid cadit in speram ignis, statim conuertitur in ignem, ergo materia ex qua debet generari animal prius conuertitur in ignem quam ex ea generetur animal.

25 Propterea philosophus in quarto *Methaurorum* arguit sic, idem est locus habitationis et generationis, sed omnia animalia habitant in elementis grauibus, generantur et nulla in leuibus.

Propterea generatio supponit mistionem, sed mistio non potest esse in igne, ergo nec generatio animalis minor potest, quia mistio est per reuerberationem 30 radiorum, et reuerberatio radiorum solum est ad elementa obpauca, sicut dicit philosophus et Alfaretus, ergo in igne non est mistio, ergo nec generatio animalis.

Quod concedo.

Ad primum in contrarium dicendum quod licet ignis communicet in proprietatibus cum mediis uite, tamen quia non potest infieri mistio, ideo nec 35 generatio.

Ad secundum dicendum quod animalia calida plus participant de uita quam frigida, tamen non sic est in elementis, sed contrario modo, quia in igne est caliditas ultimata, sicut scribitur in secundo *Prime philosophie*, et per hoc non posset fieri mistio in igne, quia quiquid cadit ad ignem, fit ignis. Ignis enim habet 40 tria intersticia et quodlibet elementum, sicut uult philosophus et Alfaretus. Intersticium supremum ignis est clarum, purum, et ibi nihil generatur nec corrupitur, similiter in medio nec est generatio nec corruptio. Sed in infimo ubi ignis coniungitur aeri, ignis turbulentus est, est etiam ibi continua deperditio et continua generatio per conuersionem, quia ibi continue ex aere fit ignis et ex igne 45 fit aer. Vnde dicit Alfaretus quod aque, que currunt a septentrione ad meridiem, quia in meridie multum deperditur de aqua et conuertitur in aerem et ignem. Sed in septentrione multum deperditur de igne et aere generatur de aqua. Est ergo in infimo intersticio continua generatio per conuersionem, sed non potest ibi esse

---

23. stantim *M*

39. cadit *add.*; 40. et *add.*

46. medie *M*

mistio et ita nec generatio uiuenti, propter dictas causas. Locus enim misionis est in medio, scilicet circa grauia. 50

Ad tertium dicendum quod distantia cum contrarietate in mistis non est nisi per alterationem qualitatum elementariarum. Solis autem ignis inter /290ub/ cetera elementa habet quantitatem ultimatam, et ideo minus accidit ad temperamentum quam alia elementa.

Iusta hoc queritur quare ignis fermentat pastam et confert ad generationem pulli ex ouo cum impediat generationem animalium, sicut uermium et putrefactorum. 55

Secundo utrum salamandra possit uiuere in igne, sicut uulgus communiter asserit.

Ad primum istorum dicendum, sicut scribitur in libro *De anima*, quod in quibusdam ad exitum potentie in actum sufficit causa excitans solum, ut miles potest militare, et ad exitum huius potentie in actum requiritur solum excitatio, ut prorumpat in actum. In quibusdam non sufficit solum excitans sed requiritur educens de potentia in actum, ut puer potest militare, sed requiritur educatio de potentia in actum, quod prius addiscat militare quam militet. Dico ergo quod in ouo est uirtus anime decisa cum spermate in albumine et uitello et sufficit solum causa excitans, quia non est ibi anima nec uirtus anime nisi aliunde ueniat. Vnde requiritur causa educens, et quia ignis non est uiuifficus sed potius destructiuus, ideo non potuit ibi educere animam, sed potius corrumpere et impediret generationem. Sed anima educitur ibi de potentia in actum a calore celesti uiuifico. 60 65 70

De pasta autem dicimus quod ignis quantum ad primos actus communicat cum calore celesti scilicet in calefaciendo et rarefaciendo partes. Licet in secundis non conueniat, quia calor celestis est uiuifficus, calor autem igneus est corruptiuus ignis. Ergo quantum ad primos actus fermentat pastam per rarefactionem partium et

---

63. quibus *M*; 69. corumpere *M*

71. quam *M*; 74. a *M*

75 eleuationem. Et similiter quantum ad primum actum qui est calefacere iuuat generationem pulli.

Ad secundum dicendum quod nullum animal potest uiuere ex puro igne, sed salamandra dicitur uiuere in igne. Hoc est quia est animal ualde frigidum et ideo multum potest pati de calore.

80 Secunda causa est quia salamandra sua frigiditate extinguit ignem iuxta se, unde creditur uiuere in igne, cum intra se non sit ignis.

Tertia causa est quia salamandra repugnat igni quantum ad secundos actus, unde tale facit. Sed non potest consumere, sicut aqua repugnat igni quantum ad actum manifestum, unde aqua licet sit calida, tamen extinguit ignem.

85 **2.** Circa secundum sic ad aerem non sit reuerberatio radiorum, ergo nec mistio nec generatio per consequens.

Propterea eadem sunt principia generationis et conseruationis, ex eisdem enim sumus et nutrimur, sicut scribitur in secundo *De generatione*. Sed nullum animal conseruatur in aere nisi cum pena et labore, sed omnia requiescunt in terra  
90 et in aqua, ergo in aere nullum animal generatur.

Propterea generatio supponit mistionem.

Contrarium dicit philosophus in decimo septimo: quod aer, terra et aqua sunt plena uita, ergo in aere generantur animalia.

Propterea scribitur in quarto *Methaphysicorum*, quod omnia elementa  
95 putrefiunt preter ignem, ergo in omnibus possunt generari animalia per putrefactionem preterquam in igne.

Propterea si in aere non fiat generatio, hoc est aut propter defectum mistionis aut propter defectum complexionis. Propter complexionem non quia aer est calidus et humidus et hec complexio maxime est amicabile uite. Nec propter  
100 defectum mistionis, quia in aere ex uaporibus eleuatis a terra et a aqua generantur corpora mista ut lapis et metalla. Sicut enim dicit philosophus in libro *Methaurorum*, quod in Alamania cedit ferrum ex aere uel ab aere ex quo fati sunt optimi enses, ergo animalia possunt generari in aere.

Quod concedo.

Sed nota quod aer habet tria interstitia. In interstitio supremo est continua 105  
generatio per conuersionem et ibi aer est calidus et siccus, et ibi non generantur  
animalia. In medio autem est frigidus et humidus, et ibi generantur mista per  
frigiditatem excellentem coagulationem, sed animalia non. In infimo est calidus et  
humidus, per reuerberationem enim radiorum a terra et aqua fit calidus, per uapores  
uero humidus eleuatos ab aqua fit humidus, et ibi generantur animalia ex uaporibus 110  
eleuatis a terra et aqua. Vnde sicut uapores eleuati a locis minerabilibus  
conuertuntur in corpora mineralia, similiter uapores eleuati a paludibus, in quibus  
sunt uel habitant animalia uilia, quia uapor eleuatus infectus ex muscilagine, ex qua  
generantur hec animalia, ex isto uapore in aere per calorem, ex reuerberatione  
aquisitum generatur uile, ut serpens uel bufo mediante materia disposita. Per hoc 115  
satis patet solutio ad argumenta.

3. Circa tertium, sicut calidum et humidum est medium uite, ergo in  
elemento calido et humido plus generantur animalia quam in alio huiusmodi ...

